Digitized by Google

Pass.
1079
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE • FIRENZE •

Digitized by Google

Digitized by Google

6an. 1079

BOBBIO
ILLUSTRATO

VOLUME TERZO

Digitized by Google

BOBBIO
ILLUSTRATO

DAL PADRE

DON BENEDETTO ROSSETTI

VISITATORE DEI MONACI CASINESI

ABATE DEL MONASTERO DI SAN PIETRO
DI SAVIGLIANO

E CENSORE
DELL'ACCADEMIA DEGLI UNANIMI DI TORINO
COL NOME DI *SPEDITO*



TORINO MDCCXCV. DALLA STAMPERIA SOCIALE.

Digitized by Google

LIBRO TERZO

PARTE PRIMA

VITÆ

SANCTORUM ATTALÆ ATQUE BERTULPHI

PROEMIUM

Quandoquidem Vitæ Sanctorum Attalæ & Bertulphi non pauca præseferunt, quæ dilucidandis, confirmandisque nostris aliquot propositionibus in primo libro expositis plurimum inservire possunt: ea propter non abs re erit hic eas exhibere, ut ab Abbate Jona Sanctorum prædictorum Discipulo fuerunt exaratæ, & in antiquissimo hujus nostræ Bibliothecæ MS. leguntur, ut sequitur.

CAPUT PRIMUM

Incipit vita S. Attalæ Abbatis & Confessoris.

Cum ergo venerabilis Columbanus de hac vita migrasset, ejus in locum Attala subvectus est, omni religione laudabilis, cujus post magistrum virtutes claræ fulserunt. Ex Burgundionorum genere, nobilis natione, sed nobilior san-

ctitate, vestigia magistri secutus. Sed qualiter rudimenta illius in ipsa primordia (*a*) uberem profectum quæsierint prætermittendum non est. Itaque dum a Patre nobili liberalibus litteris imbutus fuisset, Aregio cuidam Pontifici a genitore commendatus est. Sed cum nihil utilitatis agi cerneret, cœpit novus affectus ad potiora anhelare; dedit operam ut postposita sæculi faleramenta (*b*) Monachorum jungeretur cohorti. Deinde ergo a sodalibus progressus, duobus pueris contentus, ad Ligerense Cœnobium venit. Quo diu vitam degens, cum nequaquam cerneret regularis disciplinæ habenis cæteros colla summittere, cœpit anxio animo trutinare quo potioris consilii aditus viam panderet. Progressus ergo inde ad B. Columbanum Luxovio tenus venit. Quem vir sanctus cum ingenii sagacis solertem esse cerneret, suo ministerio junxit, ac in omnibus divinis monitis erudire temptavit. Tramite ergo regiminis cum egregie post B. Columbanum supradictum Cœnobium regeret, & in omni disciplina regularis tenoris erudiret, contra eum antiqui anguis versutia lethiferum discordiæ virus noxiis ictibus laxare cœpit, excitans aliquorum contra eum corda subditorum, qui se agebant (*c*) nimii fervoris austeritatem ferre non posse, & arduæ disciplinæ pondera portare non valere.

(*a*) *In ipsa primordia*) *arbitror* in ipso primordio.

(*b*) *Leg.* postpositis sæculi phaleris.

(*c*) *Agebant*) *lege* ajebant.

At ille sagaci ut erat animo pia fomenta præbere, & salutaris antidoti, quo sanies putrefacta abscideretur, potum dare studens, mollire tumentia corda nitebatur. Diuque castigatos, cum secum tenere non valeret, mœrore animi turbatus, multis precibus cum pietatis obsequio prosequebatur, ut se non relinquerent, & ab ardui itineris calle non deviarent. Meminiscerentque Patres per mortificationem & contemptum præsentis vitæ regna cœlorum possidere. Cum nihil jam proficere cerneret, nec alibi trahentes animos suæ societatis habenis inretiri posse vidisset, pertinaces ire sinit. Qui postquam segregati ab eo, alii eorum marinis sunt sinibus recepti, alii locum Heremi ob libertatem habendam petiere; qui temeritatis ac arrogantiæ inibi positi, mox interitus damna sensere. Nam cum his in locis morarentur, & virum Dei, suis detractionibus laniarent, unus eorum, qui Rocolenus dicebatur, qui & jurgiorum, ut credebatur, incrementa ministrabat, subito ictu igne febrium accensus, inter pœnæ incendia clamare cœpit se, si valuisset, ad B. Attalam venire velle, & admissi criminis damna pœnitentiæ medicamento linire. Nec mora vix hæc dicere licuit, obmutuit, ac extremum halitum dimisit. Ast hi qui aderant videntes viri Dei injurias divina ultione vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, suasque noxas confitentur, se in omnibus, si recipiantur, emendaturos pollicentur. Quos vir sanctus miro gaudio, ac si e luporum ore receptas oves, recepit, suisque locis suas culpas agnoscentes restituit. At vero alii, qui verecundia præveniente,

Digitized by Google

vel temeritatis ac arrogantiæ vicio maculati redire noluerunt, & datum locum pœnitentiæ contempserunt, diversis mortibus sunt direpti, ut manifeste daretur intelligi socios eos fuisse ejus in excitando contumaciæ incrementa, quem ultio Divina percusserit, propterea cum cæteris veniam non meruisse. Nam unus eorum Theudemundus nomine secure percussus interiit. Alius dum parvi fluminis alveum transmearet, inretitis poplitibus, perparvula fluminis unda enecatus est. Tercius verò, qui Theotharius dicebatur, cum se mare portandum carinæ credidisset, dimersus est. Videntes hæc qui adhuc supererant, verecundia submota, post socios ad B. Attalam repedant. Qui ab ipso, ut superius alii, reeepti & salvati sunt.

CAPUT II.

De fluvii receſsu virtute Divina.

Alia ab eo patrata miracula omnium in supradicto Monasterio Fratrum testimonio adprobantur. Inter quos ego positus, & Beati viri ministerio deputatus tenebar. Cum quodam in tempore fluviolus, cujus superius mentionem fecimus, Bobius nomine, turbidis aquarum molibus violenter rapaci cursu defluens, ut solent torrentes ex Alpium cacuminibus dilapsi, & imbrium effusione aucti, ita iste saxorum rupes, & arborum congeries nimia vi tumescens coarcervare, molinumque Monasterii rapido cursu fodere, ac totam jam officinam quatiens, dimergere nitebatur.

Quo fragore audito, custos molini Agibodus nomine ad molinum pergit, ut videret, si tanti fragoris moles inibi dispendii dampna generaret. Ubi cum venisset, vidit nisi celeri auxilio subvenirent, cuncta diripi; festinusque Patri nuncianda credit, ut solamen præbeat, quod opportunam necessitatem ex aquarum fluctibus liberaret. Ad quem vir Dei. Vade, inquit, voca mihi Sinoaldum Diaconem *(a)*, tu vero stratui receptus somnum cape, nec metu aliquo detentus mœrori corda subdas. Erat enim mane priusquam aurora funderet grata lumina terris. Venit ergo Sinoaldus ad virum Dei. Cui B. Attala ait: adpræhenso baculo, quo sustentor, vade ad Bobium, imperantisque voce dicito, signo Dominicæ crucis Prælato, ut istas desinat perfodere ripas, nec præsumptæ audaciæ modum suppleat, sed alia cædens latera, ista sinat inlæsa, imperiisque se noscat Domini recessurum. Qui viri Dei imperio supradictus vir obediens cum fidei amminiculo pergit, imposito ripæ baculo, imperat se ex viri Dei præceptis, annuente Divina potentia, illo promoveri ex loco, aliaque collis latera violenti conatu cædat. Moxque obediens fluvius, relicto alveo, collis latera cædens, fluens per ardua collis latera, velut alis strictis latices sustentabat quoadusque concava alvei paterent, quo sustentatæ liquido fluerent. Jamque prorumpens aurora mundo ut lumen panderet, surgebat, cœpit intra

(a) *Diaconem*] *nempe* Diaconum.

semetipsum cogitans Sinoaldus dicere: Vadam & videam si viro Dei fluctus violenti obedire (*a*). Venitque ad ripam alvei, vacuum cernens, expectabat qualiter alterius collis latera cæderet, ut sibi alveum, quo flueret, aperiret. Festinusque ad virum Dei venit, patratæ victoriæ tropheum nuntiavit. Cui vir Dei: nullatenus me, inquit, in hoc sæculo vivente ulli dicere præsumas, proculdubio ne favor adulatorum corda plena virtutibus macularet. Quod vitium, quamvis diversis sint virtutibus ditati, ab omnibus est studiose sanctis fugiendum. Nam hoc callidus hostis malitiose studet, ut dum in majoribus, ac certis culpis sanctos Dei maculare non valet, saltem illos in occultis, quæ minora videntur, polluat.

CAPUT III.

De pollice abscisso, & viri Dei oracione sanato.

Factumque est deinceps, cum aliquo in tempore unus Monachorum nomine Fraimericus ad frumenta suscipienda vomere tellurem excoleret, subito stiphæ firmitatem duræ glebæ asperitas peremit atque confregit. Quam cum supradictus Frater componere conaretur, subito inopinato ictu ferramenti pollicem ex læva præcidit, sulcoque conditum, superposita gleba, velut funus sepulturæ tradidit. Relictoque vomere ad monasterium

---

(*a*) *Obedire*] *lege* obediere.

pergit, Patri per confessionem humo prostratus prodit. Quod videns vir Dei, ubi est, inquit, pars abscissi pollicis? At ille fatetur se terræ conditum, sulcoque sepultum. Male, ille ait, fecisti, cur mihi non detulisti? Concito ergo gradu nulli causam indicans perge, sumptoque eo huc deporta. Ille itaque egressus pergit, imperatumque pollicis dampnum deportat. Erat enim spacium per ardui montis dorsa flexuoso itinere tendentia, vel inter fluentis Triviæ alveum quasi milliarium unum. Porro vir Dei suscipiens frusta pollicis, suis salivis inlitum, manui junxit. Conjunctusque pollex carnis glutino, velut antea fuerat, adhæsit. Tacitoque silentio, ut abeat, imperat. O mira omnipotentis virtus! ut sic suos in terra glorificet, ut frigida abscissaque membra eorum interventu pristino decori reddat.

CAPUT IV.

De ægro sanato penes Mediolanum.

Isdem etenim vir cum quodam in tempore ad Mediolanum urbem venisset, ibi quidam puerulus in extremis febrium anxietatibus positus, vitæ tantum expectabat exitum. Cujus parentes, audito B. Attalæ adventu, festino ad eum properant cursu, eumque precantur, ut illis subveniat. Quod cum vir Dei dissimulare voluisset, fletibus, ac terribilibus sacramentis eum compellantur (*a*), ut prius eat, quam noxius ardor

---

(*a*) *Compellantur*] *lege* compellant.

supremis eum privet ab auris. Anxius ergo, & popularis favoris rumores fugiens, ite, inquit, ego, ut potuero, vos prosequar. Veniens ergo Basilicas & Sanctorum loca circuit, pro infirmo precatur, ut protinus sanitati reddatur. Deinde ut promissæ fidei impleret effectum, ad infirmum festinus venit, & ne quis largitoris muneris præco existeret, domum latenter ingressus infirmum attigit, moxque virtus divina sanctis precibus favens, sospitati pristinæ ægrum reddit. Grates simul parentes conditori referunt, qui sic suorum petitionibus famulorum pietatis suæ accomodat aures. Erat enim is vir gratus omnibus, singularis fervoris, singularis alacritatis, singularis charitatis in peregrinis, in pauperibus; noverat & superbis resistere, & humilibus subditus esse. Sapientibus condigna rependere, & simplicibus mystica perire. In solvendis, ac componendis quæstionibus sagax, adversus Hæreticorum procellas vigens, ac sollicitus. Fortis in adversis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, discretus in cunctis. Redundabat amor, & timor in subditis, redolebat doctrina in discipulis. Nullus juxta eum vel mœrore tenebatur, neque nimia lætitia extollebatur.

CAPUT V.

De denunciatione exitus ejus.

Cumque jam eum ab ærumnis sæculi rerum repertor liberare vellet, monstrari per visionem voluit, ut de mundo egressurus paratum in omnibus iter haberet, quinquaginta dierum spatio suspenso, quo iter pararet venturum. Sed non aperte viri Dei animus cognoverat iter istud exitum esse vitæ, an ad alium quoque locum progressurus: utrumque præparat vir. Septa Monasterii densat, tegumenta renovat, omnia roborat, ut si abeat, nihil imbecille dimittat. Vehicula quiete fovet, libros ligaminibus firmat, suppellectilia ablui, dissuta consui, corrupta componi, calceamenta parari, ut omnia præsto sint, jubet. Ipse vero jejuniis, & vigiliis, & orationibus corpus afficit, itaut numquam intentius antea in oratione visus fuisset desudare. Et ne cui ridiculum videatur, referam quid in me isdem vir egerit. Cum vero jam novem annorum per circulum in Monasterio conversatus fuissem, & sæpe parentibus postulantibus ut eos ex permissu suo viserem, non impetravissent, nullo exinde mentionem faciente, ait: vade festinus, fili, & matrem, fratremque visita, & mone, & nulla mora præpediente revertere. Cumque differrem, & temporis opportunitatem evenire in proximo dicerem, erat enim tempus nimii frigoris, tempus februarii mensis. At ille ait: accelera, egredi iter, quo tibi dixi, nescis utrum in postmodum liceat agere. Datis ergo comitibus Blidulfo

Presbytero, & Hermenoaldo Diacono, de quorum religione nihil dubitabatur, ad destinatum pervenimus locum. Erat enim locus Sigusia urbs nobilis, quondam Taurinatum Colonia a Monasterio distans centum quadraginta millibus. Ubi, ut pervenimus, gratuite a genitrice post tantorum intervallum annorum suscepti sumus. Sed non diu genitrix optato fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus, incendia clamare cœpi, me viri Dei precibus torqueri ne inibi contra interdictum quantisper morarer. Si non me cito submoveant (*a*) quocumque potuissem conamine ad Monasterium repedare, me cito morte præventum. Mater ad hæc: melius esse mihi, fili, te ibi sanum scire, quam hic mortuum deflere: fateor longum fuit diei expectare adventum; vix erumpente aurora retro repedare studuimus. Nec quidquam cibi per triduum capens, donec medii pene itineris loca pertingeremus. Festinantibus ergo, ac iter urguentibus (*b*), sospitatem rursum recepi. Venientesque ad Monasterium, patrem jam febribus detentum reperimus, ac morti proximum. Quibus visis gratulatus est. Sicque aperte cognovimus viri Dei in hoc prævaluisse preces, ut me vis febrium urgueret (*c*) cito ad Monasterium ante exitum redire.

(*a*) *Submoveant*] *lege* submoveam.
(*b*) *Urguentibus*] *puto* urgentibus.
(*c*) *Urgueret*] *lege* urgeret.

CAPUT VI.

De reseratione Cœli & consilio Divino.

Qui cum jam supremis vitæ præsentis horis fungeretur, cum adhuc vigens halitus superesset, se foris cellulam portari jubet. Surgensque de stratu quo valebat conamine, sustentantibus undique fratribus, foris cellulam est progressus; aspiciens crucem, quam ipse in eodem loco poni præceperat, ut egrediens ingrediensque cellulam tactu ejus suam frontem muniret, cœpit mœstas lacrimas fundere, ac tropheum crucis memorare. Ave, inquit, alma crux, quæ mundi pretium portasti, quæ vexilla ferens æterna, nostrorum vulnerum medicinam attulisti. Tu cruore ejus illita es, qui, ut humanum genus salvaret, e cœlo in hanc lacrimarum vallem descendit; qui in te primam Adæ rugam extendit, dudum jamjamque secundus Adam lavacro maculam abluens. Dumque hæc ageret precatur omnes ut abeant, seseque cellulæ reddant, sibique paulisper locum præbeant. Abeuntibus ergo omnibus, unus tantummodo nomine Blidemundus post tergum viri Dei tacito anhelitu stetit, cogitans ne viri Dei poplites fessæ (*a*), ut erant, fractis conatibus casum indidissent, se ad suscipiendum eum paratum fore. Cum ergo nullum superesse putaret, cœpit conditoris clementiam cum lacrimarum ubertate conquirere, ut largitatis suæ sibi, ac si

(*a*) *Fessæ*] *lege* fessi.

Frodoardi Rhemensis Canonici, postea Monachi de Sancto Attala Carmen.
Ex MS. Codice RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Conventus Parisiensis.

Magnifico Patri (*a*) magnus succedit alumnus
Attala, cui celsam peperit Burgundia stirpem,
(*b*) Pontifici datur hic, genitore ferente, colendus (*c*).
(*d*) Artior angustum fervescit scandere callem,
Sic clàm progrediens Monachorum castra peragrat,
Et potiora calens (*e*) dicto fert colla patrono,
Atque Columbano tradit se luce (*f*) regendum.

Conclusio Carminis.

Altera lux terris jam cœlica dona ferebat;
Ille vocans, summumque vale dans fratribus, addit
Exhortans cœptis maneant, potiora capessant.
Sic Verbo genitos solans absolvitur imis,
Et pia sidereæ mentis fert flamina cœlis.

(*a*) *Columbano.*
(*b*) *Aregio.*
(*c*) *Fervens.*
(*d*) *Artior*] *leg.* Arctior.
(*e*) *Erudiendus.*
(*f*) *Forsitan Duce.*

Incipit vita B. Bertulfi Confessoris.

Quam præclara sunt monimenta justorum doctorum, ordo per temporum vicissitudines studuit posteris declarare. Quæ ergo nostris noscuntur patrata temporibus, nequaquam silendo, negligentiæ somno torpentes, prætermittere debemus, ut sicut nobis præcedentium exempla uberius religionis studia generant, ita postmodum posteritati nostrorum temporum acta augmenta pariant; dumque aliis imitanda propagamus, nobis sæpius memoranda opponimus. Venerabilis etenim Bertulfus Bobiensis Cœnobii Præsul, cujus superius fecimus mentionem, quis quantusque fuerit a nobis non est omittendum tradere memoriæ. Sed prius qualis conversatio in sæculo fuerit, memorandum est. Fuit enim genere nobilis, licet gentilis, consanguineus B. Arnulfi Metensis urbis Pontificis. Qui cum præfatum Pontificem Arnulfum ad cultum religionis post aulicos honores, insulas, pompasque sæculi ad religionis studia anhelare prospexit, nisus est & ipse, calcando terrena, cœlestia desiderare. Postposuit patrem, natalemque solum, pompas urbis juxta evangelii vocem, post rerum amissionem, nudus tollendo crucem, ac (*a*) sibimetipsi abnegando, secutus est Christum, junctus supradicto Pontifici Arnulfo, cum ipso quantisper moravit (*b*).

(*a*) *Supple* se.
(*b*) *Moravit*] *lege* moratus est.

Deinde ad Venerabilem virum Eusthasium Luxovio perrexit. Quo diu subjectus sanctæ regulæ, religionique gratus omnibus mansit. Exin ventante (*a*) B. Attala ex Ausoniæ partibus, cum voluntate & pacis vinculo Venerabilis viri Eusthasii, ejus societati subjunctus est. Quia erant cor unum, & animam unam habentes, nec quidquam discordiæ inter eos manebat, si mutue ac vicissim subjectos sibi commutarent. Abiit ergo post vestigia Ven. Attalæ, Ausoniæque finibus receptus, in Bobiense cœnobio sub obedientia B. Attalæ permansit. Cumque repertor rerum sæpe fatum Patrem Attalam ad cœlestia regna post ærumnas sæculi vexit, omnis concio Monachorum, voce animoque unito, in paterno honore Bertulfum sublimamus. Qui per tredecim annos omnis diligentiæ studio plebem docere, ac imbuere salubribus monitis non omisit. Sed quid in his temporibus (*b*) gessere, memoriæ tràdendum est. Cum jam egregiis moribus, bonitate, & disciplina scientiæ moderanter plebem regeret, cœpit antiquus anguis quietam mentem adversitatis ictu quatere. Excitavit quemdam probum nomine Tertonensis urbis Pontificem, qui ut subjectum sibi præfatum Abbatem cum Cœnobii supplemento faceret omnis intendebat. Aggressus primum Aulicos, vel Pontifices vicinos, muneribus temptare. Cumque sibi junctos gauderet, regem per eos suadere adiit. Regna-

(*a*) *Ventante*] *lege* adventante.
(*b*) *Leg.* gesserit.

bat enim eodem tempore Ariovaldus Langobardis. Sed cum nihil aliud a Rege in responsis recepissent, nisi ut Ecclesiastico jure probarent utrum cœnobia procul ab urbibus sita Episcopali debeant ministrare dominio (*a*), ille omnes, quos potuit, suo intentui junxit. Cumque hæc agerentur, unus ex aulicis clam præfato Bertulfo quod rei fomenta gestirent mandavit. Ille missos experiendi causa ad Regem direxit. Quibus Ariovaldus: non, inquit, meum est Sacerdotum causas discernere, quas synodalis examinatio ad purum debet adducere. Sciscitatur ille illorum sit fautor consilii; nequaquam ait se eis favere, qui adversum Dei famulum molestias vellent generare. Cumque illi, quamquam a barbaro, & Arianæ sectæ credulo, talia fari cernerent, poscunt, ut supplemento publico qualiter Romam ad Sedem Apostolicam venire queant, fulciantur. Largito ergo beneficio Regio cultu, Romam usque suprafatus Abbas, in cujus obsequium ego interfui, ad Honorium Papam accessit. Cui cum rei causam patefecisset, ille de industria quærit, quæ sit consuetudinis regularis disciplina. Cumque cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset, placuit B. Honorio regularis series, religionis cultus, ac humilitatis indicia. Tenuit ergo eum quantisper, & cotidiano effamine Bertulfum roborare nisus, ut cœpti itineris laborem non relinqueret, & Arianæ pestis perfidiam evangelico mucrone ferire non abnueret. Erat enim Vene-

(*a*) *Ministrare dominio*] *lege* ministrari dominio.

rabiiis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarens, dulcedine & humilitate pollens. Lætabatur egentibus socium reperisse, quo dulcia promeret effamina. Nec prorsus delectabatur, ut cito ab ejus consortio segregaretur. Sed cum vehemens æstus quiescendi longum prohiberet spacium, præbuit optatum munus, privilegia Sedis Apostolicæ largitus est, quatenus nullus Episcoporum in præfato Cœnobio quolibet jure dominari conaretur. Percœpto ergo optatum munus, ad patriam remeare nisi sumus. Cumque peracto itineris spatio, Tuscana arva postposita (*a*), Appennina attigimus rura, & prope castrum, cui bis mantum nomen est, venissemus, tanta vis febrium Bertulfum oppressit, ut omnino morte præveniri crederetur. Æger enim ab urbe progressus fuerat. Oppresserat omnes mœstitia non, ram longævi itineris, quam langor (*b*) ægri Patris. Nec prorsus de sospitate spem habentes, tenso tentorio aspera in loca undique vallata mœstitia, nec omnino de sospitate paterna fidentes, metati sumus. Erat enim vigilia passionis B. Petri & Pauli Apostolorum Cumque jam atra nox inrueret, ille inter ignes febrium me accersivit; ac curis mens dedita, de nocturna vigilia sciscitavit. Cumque ego dicerem omnia jam esse disposita, ille ait: tu meum ante stratum totam per noctis metam, quousque diei prorumpat crepusculum, excuba. Cum ergo excubassem quousque intempesta nox rueret, tantus me sopor

(*a*) *Leg.* Tuscano arvo postposito.
(*b*) *Langor*] *leg.* languor.

oppressit, ut sursum caput attollere non valerem. Omnesque, qui erga tentorium sarcinas vel equos excubabant, simili sunt oppressi sopore. Cumque ergo cuncta silentio operissent (*a*), B. Apostolorum Princeps Petrus advenit, ac supra stratum ægri Patris astitit. Surge, inquit, & sospes tuos ad sodales perge. Cumque inquireret, quis esset, ille ait, *Petrus*. Mea hodie clara in toto orbe celebrantur solempnia. Cumque hæc dixisset, abiit. Ille timore perculsus, anxio, & trepido corde me sciscitare curat, quid rei causa inesset. Putabat enim me & audisse vocem, & aspectum vidisse. Cumque ego ajerem me nihil vidisse, vel audisse; non cernis, inquit, fulvam lucem, quo Petrus Apostolus pergit? Cumque ego ajerem me nequaquam videre, silere cœpit. Cumque ego cognovissem, quid (*b*) rei causæ gestiret, vix tandem precibus obtinere merui, ut mihi rei panderet veritatem. Quod ille omnino siluisset, si me & vidisse & audisse, non putasset.

Cum quodam in tempore expleto psallendi officio una cum fratribus secunda diei hora de Ecclesia B. Petri egrederetur, obvium habuit hominem Viaturinum nomine dæmonis rabie plenum. Quem intuens cœlos inspexit, conditoremque postulavit, ut suis votis favens adesset, sauciumque dæmonis peste suis consulendo precibus curaret. Deinde imperavit, ut vix (*c*) rabida dæmonis ab homine exiret, nec prorsus præsu-

---

(*a*) *Operissent*] *leg.* operuissent.
(*b*) *Causæ*] *lege* causa.
(*c*) *Ut vix*] *lege* ut vis.

meret Dei imaginem maculare. Miserabiliter discerpendo iniqua pestis fugit ab homine, protinusque salus secuta est, sospesque ab Ecclesia una cum Fratribus egressus, atque incolumis permanens, gratias conditori rependit, qui sic famulo suo cito favendo, (a) ejus orationibus optemperando, suo cruciatui subvenit. Deinde interposito temporum circulo alius sæva dæmonis peste infantulus oppressus nomine Donicus, filius cujusdam nomine Urbani, ad eum curandi gratia properavit. Quem diu increpans curavit, & sævam pestem exire ab homine fecit.

Deinde alia virtus subsecuta. Quidam leprosus valida lepra perfusus, nec prorsus ad sospitatem recipiendam Medicis fiduciam gerens, ad Venerabilem virum Bertulfum venit, suisque orationibus, ut opem misericordiæ mereretur, postulavit. Quem cum vir fiducia plenus aspexisset, gravissimæ ultionis hominem (b) subjicere suspiravit, imperatque secum, quoadusque sospes redderetur, maneret. Dedit operam ut meus virtutum conscia cœlos penetrans, ad suas preces rerum conditorem excitaret. Peractoque biduano jejunio, oleum supra membra ulceribus plena effudit, moxque didicere membra post viscerum putredinem sanitatem recipere, & ad pristinum decorem denuo reverti. Et ita sanus æger effectus, ut nec vestigium lepræ in ejus corpore ap-

(a) *Supple* &

(b) *Ultionis hominem*] *lege* ultioni *hominem.*

pareret. Sicque Creator omnium suis famulis favendo subvenit, ut uberius vigore virtutum roborati, calcando perfuncturia (*a*) cœlestia semper studeant adimplere præconia (*b*).

(*a*) *Perfuncturia*] *nempe* perfunctoria.

(*b*) *Credibile est Abbatem Jonam non protraxisse ulterius historiam vitæ Beati Bertulfi, eo quod adhuc in vivis hic esset, tunc cum ejus gesta contexuit, ut ipsemet in sua epistola proëmiali testari videtur hisce verbis*: « *et si me* » *quempiam laudare repererint, qui adhuc superis* » *junctus sit, non me adulatorem putet, sed rei* » *bene gestæ dissertorem* ».

De Sancto Bertulfo
Carmen Frodoardi Præfati
Initium Carminis

Hunc (a) sequitur fervens sub religionis amore
Francica progenies altum quem sanguinis edit
Arnulfo celebri Bertulfus stirpe cohærens
Pontifici, quem celsa videns fastigia mente
Spernere cœlesti, sectatur, & ardua secli
Culmina contemnens, Crucis arripit alta tropæa,
Eustasiumque petens Lussovia lege colentem
Castra Columbani, monitis attollitur almis,
Omnibus & gratus, virtuti degit & aptus,
Attala, sed Gallos Lussovium & ut petit agmen
Utriusque Patris socia pietate favente
Huic quoque se dedens, Italos sortitur agones,
Permanet ac fidus ....

Conclusio Carminis

Tabem etiam lepræ supero depellit honore,
Et medicis desperatum sacro unguine salvum
Post pia vota facit, postquam jejunia ducit;
Atque ita labe cutem, sanie sic viscera mundat,
Ut morbi post nulla decus vestigia linquat.

Explicit vita B. Bertulfi Confessoris.

(a) *Eustasii & Attalæ.*

LIBRO TERZO

PARTE SECONDA

SERIES CHRONOLOGICA EPISCOPORUM ECCLESIÆ BOBIENSIS.

Animadversio in Bobienses Episcopos.

Antequam Bobiensium Episcoporum seriem aggrediamur animadvertendum est nullo stabili fundamento fulciri quod de S. Siro Episcopo Ticinensi a quibusdam asseritur, eum nimirum fuisse primum Bobiensis Civitatis Episcopum sub Arduino Rege, eo quod in antiquo ejus Chirographo, ut fertur, anno 1011. præfati sancti gratia exarato legantur hæc verba: = datum Bobii in Episcopali palatio =. Hinc enim ad summum inferri posset S. Sirum in palatio, seu hospitio Abbatibus Commendatariis in Monasterio S. Columbani destinato, tunc temporis hospitatum fuisse. Satis enim superque probatum est sub numero 109. lib. primi hujus operis nullum Bobii eo tempore exstitisse Episcopale palatium extra prædictum monasterium. Vel igitur S. Sirus tamquam hospes aliquandiu in hoc Monasterio moram fecit; vel ad summum *temporaneus Episcopus* tantum, ut

tunc moris erat, Columbani Monachis ab Arduino Rege datus fuit, sed Bobiensium Episcopum fuisse non constat.

Non me latet primum inter Episcopos Ecclesiæ Bobiensis recenseri S. Vicinium, cujus corpus Genuæ requiescit in Ecclesia Parochiali sub ejus nomine, quæ vulgo dicitur *S. Urcese*, & in ejus sepulchro extat nomen S. Urcicini, estque traditio constans illius Civitatis illum fuisse Episcopum Ecclesiæ Bobiensis, & pro tali nunc habetur, celebraturque sub ritu duplici ejus festum die 28. januarii auctoritate Sacræ Congregationis Ritum. Insuper habetur in ejus vita extracta ex proprio originali MS. a Reverendissimo Domino Fulvio Ferretto Episcopo Lavinatensi, & Vicario Generali S. Ravennatis Ecclesiæ existente in volumine MS., in quo pariter aliæ Sanctorum vitæ sunt conscriptæ, ut sequitur: = B. vero Urcinius ex Liguriæ partibus in imminenti persecutionis tempore veniens ad Urbem Bobiensem, quæ in Appenninis montibus sita est, atque ibi verbum Dei prædicans pro bonorum operum studiis, quibus Omnipotenti Deo inhærebat, omnique populo complacebat, divina providentia est Episcopus ordinatus. = Sed hæc vel piæ sunt simplices traditiones, vel fieri potest, ut quia strenuus erat Evangelii præco, Apostolici sui ministerii intuitu, privilegiis quasi Episcopalibus a S. Romana Sede fuerit ad tempus insignitus. Cæterum quum extra omnem dubitationis aleam sit constitutum tunc primum Episcopali dignitate Bobium decoratum fuisse cum Civitatis nomen fuit adeptum, nempe anno 1014.

ab Henrico Imperatore regnante Benedicto VIII. Summo Pontifice; idcirco seriem Bobiensium Episcoporum ab Attone, quem eo tempore Ecclesiæ Bobiensis Episcopum creatum fuisse certum est, absque ullo erroris periculo exordiemur. Sit itaque.

Series Episcoporum Bobiensium majori ex parte ex MS. hujus Columbianæ Bibliothecæ, & ex Ughelio extracta.

I. Atto *primus* hujus Ecclesiæ *Episcopus* anno 1014. ordinatus.

II. Sigifredus, quo sedente Conradus Imperator Bobiensi Ecclesiæ *privilegium* concessit, cujus autographum in Episcopali Archivo asservatur. Episcopatum adeptus est anno 1017.

III. Luizo successit Sigifredo anno 1046., cujus in veteri membrana extat *donatio* Canonicis suis facta de nonnullis bonis. Primus est Episcoporum Bobiensium qui *Comitis Civitatis* titulo insignitus legatur.

IV. Uglerus Episcopus & Comes vixit anno 1060., quo sedente eodem anno Obertus, seu Obizo Marchio in Hetruria *sua bona* reliquit Episcopatibus *Bobiensi*, Cremonensi, Parmensi, Regiensi, Mutinensi, Lucensi, Pisano, Tortonensi, & Januensi: actum in castro Rivaroli. Extat monumentum in Canonicorum Lucensium Tabulario.

V. Hugo, qui in cathalogo exposito in fine Synodi Diœcesanæ Illustrissimi & Reverendissimi

Caroli Cornaccioli Bobienſis Epiſcopi, quintus recenſetur ſub an. 1085.

VI. Oddo anno 1118. conceſſit *Indultum* Eccleſiæ S. Albani ſuæ Diœceſis.

VII. N. Epiſcopus Bobienſis quem anno 1134. Innocentius Papa II. in Piſano Concilio deturbavit de Sede eo quod Anacleti partibus ſeditioſe acceſſerat, ut acta ejuſdem Pontificis teſtantur, quæ extant in Bibliotheca Vaticana.

VIII. Simeon Malvicinus Placentinus ex *Abbate* S. Columbani Epiſcopus creatus anno 1134. S. Columbani Cœnobium diu vexavit, tandem ad cor reverſus de patratis injuriis pœnitens, plura beneficia & bona eidem contulit Monaſterio, & in ſenectute bona ſub Eugenio III. mortuus eſt, in *Cathedrali* humatus. Hujus beneficio Lucius II. anno 1143. Ogliero Abbati ac ſucceſſoribus S. Columbani bona, juraque omnia *confirmavit.* Mortuus eſt circa annum 1148.

VIIII. Oglierus Malvicinus Simeonis Nepos, ejuſdemque in Abbatia S. Columbani & in Epiſcopatu ſucceſſor Eugenio III. Pontifice Maximo ſedente. Is fuit acerrimus perſecutor Cœnobii S. Columbani, miſerabiliter impœnitens expiravit, & inglorius in *Cathedrali* ſepelitur. Plurima ab ipſo patrata facinora memorantur in ſolemni *proceſſu*, quem juſſu Innocentii III. Sicardus Cremonenſis Epiſcopus Apoſtolicus Delegatus anno 1207. confecit, ut videre eſt ſub numeris 130. 131. & 132., nec non 94. libri primi hujus operis. Cæterum dictus Oglierus numquam quietus, per mortem quievit circa annum Domini 1176. Manfredo S. Columbani Abbate vivente.

X. Gandulfus anno 1177. Ogliero succeſſit. Is an. 1184. die 20. januarii nonnullos Eccleſiæ Bobienſis Vaſſallos ad *fidelitatis* juramentum admiſit, & exceſſit eodem anno, S. Columbani Cœnobio minus infeſtus.

XI. B. Albertus de Caſtro Gualterii ex nobili gente Diœceſis Parmenſis natus, hujus Eccleſiæ eligitur Pontifex an. 1184. Abbatem Monachosque Columbanios coram Lucio III. Papa coarguit, effecitque ex ſententia ejuſdem Pontificis ut quod olim Eugenius III. ſancierat, illum tamquam verum Bobienſem Epiſcopum venerarentur, ut fuſius narratur in epiſtola Innocentii III. Hæc Alberti initia in Bobienſi præfectura; nec amplius facere ei permiſſum, cum ad Vercellenſem Eccleſiam antequam Bobienſi inaugurareturr, tranſlatus eſſet, ac deinceps factus Hieroſolymitanus Patriarca per martirium tandem ad cœlos aſcendit, cum prius Honorii III. Papæ juſſu Carmelitis Fratribus vivendi normam dediſſet.

XII. Hotto Patria Alexandrinus fuit hujus Eccleſiæ Antiſtes anno 1185., & an. 1203. ad Archiepiſcopalem Januenſem Sedem tranſlatus eſt.

XIII. Ubertus ſive Obertus Rocca Placentinus in ſucceſſorem Hottonis electus an. 1203 ſtatimac is conſecrationis munus accepit, anteceſſorum ſuorum veſtigiis inhærendo, Cœnobium S. Columbani vexare cœpit, verſaque vice Abbas & Monachi in ipſum Ubertum conjunctis animis conſpirarunt, eumdemque apud Innocentium III. tamquam alienæ meſſi manus imponentem accu-

sarunt, totisque viribus diu super juribus tam Monasterii, quam Episcopatus Bobiensis exagitatam litem, sententiamque ab Eugenio III. prolatam evertere conati sunt. Delegavit Innocentius anno 1207. Sicardum Cremonensem Episcopum, & *Joannem Bonum* Abbatem Monasterii omnium Sanctorum Cremonæ, ut prævia testium discussione eos ad Apostolicam Sedem definitivam super eis sententiam recepturos dimitteret. Productis coram Delegatis pro Episcopo, pro Cœnobio, proque Romana Ecclesia, cui immediate suberat, pluribus testibus, cum Episcopus ad Apostolicam Sedem appellasset, Delegati juxta Apostolicum mandatum acta cæterasque scripturas ad ipsum Innocentium transmiserunt cum subjecta epistola, quæ extat in iisdem actis (vid. num. 132. lib. 1.) Innocentius III. æquissimus Pontifex ad favorem Uberti Episcopi *sententiam* tulit, confirmavitque Eugenii III. judicium ut deinceps Abbas & Monachi Bobiensi Episcopo sint Diœcesana lege subjecti, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus eidem tamquam Diœcesano suo debeant respondere. Innocentii adjudicatam causam Uberto Episcopo instante Honorius III. an. 1218. suo diplomate confirmavit, quod extat in Regesto Vaticano ejusdem Pontificis fol. 231. Rebus ita compositis deinceps inter S. Columbani Monachos, Episcoposque Bobienses cœpit cohire pax; quilibet illorum ex dispositione Apostolica sua jura servantes, & sic Bobiensis Episcopatus robur & firmamentum accepit labore & industria Uberti

Episcopi. Hic an. 1209. ab Hottone IV. Imperatore cum omnibus bonis Episcopatus, ac Bobiensis comitatus sub Imperiali protectione suscipitur: a Friderico vero II. Imperatore anno 1221. die 5. octobris Indictione nona amplissimo privilegio de *comitatu*, omnique jurisdictione & honore Bobiensis Civitatis, totiusque vallis Bobii *investitur ac decoratur*, datum in Castris S. Petri. Ipse vero Ubertus an. 1230. die 12. maii tam nomine suo quam Episcopatus Bobii per annos 50. *concessit & locavit* Potestati Communis Placentiæ nomine ipsius Communis *omnem temporalem jurisdictionem*, quam ipse & Episcopatus ejus habebat *in Bobio & districtu*, & merum & mixtum imperium sub annua pensione librarum 40. Placentinarum. Ita in parvo Regesto Communis Placentiæ pag. 193. Jam prius Placentinus Communis temporalem hujus Civitatis jurisdictionem ardenti desiderio concupierat; *populumque Bobiensem* in proprium Pastorem (quem per triennium miserabiliter exulare coëgerat) *excitaverat*, eidemque rebelli populo, sola cupiditate adipiscendi jurisdictionem, in Episcopum favorem & auxilium impenderat, de qua re sic minacem Honorii Papæ III. ad ipsos datam epistolam in Regesto Vaticano legimus fol. 232. quæ incipit: = Consulibus, Consiliariis, & Populo Placentino. *Induratum est cor Populi Bobiensis* &c. Datum Laterani quinto nonas martii an. 1218. = Interfuit Ubertus eodem anno die 2. decembris *in Ecclesia Majori Laudensi* unacum Fulcone Papiensi, Vice-Domino Placentino, Hemobono Cremonensi, Opizone Parmensi, aliisque nonnullis

Episcopis, ac Henrico Mediolanensi electo, dum *Hugolinus Cardinalis Hostiensis* Apostolicæ Sedis Legatus Consulibus, Oratoribus Mediolanensibus, Placentinis, Cremonensibus, & Parmensibus præcipiendo mandaverat, ut *pacem inter eos initam* servarent. Ubertus vero cum sedisset annos 30., vitam cum morte commutavit an. salutis 1233. De hoc Episcopo in nostro antiquo MS. legitur quod habebat suum Palatium in Monasterio S. Columbani.

XIIII. Albertus qui & Ubertus de Andito electus an. 1233. De quo nil aliud memoratus, nisi quod *pluribus annis ut electus* hanc administraverit Ecclesiam, & Castrum Montis Fulconis in feudum concesserit, tandem in manibus Gregorii X. *libere cesserit.*

XV. Joannes Gobbus Placentinus Gregorio X. ita censente Bobiensis evasit Episcopus an. 1274. Hic, ut vetus habet membrana, anno 1278. *relocavit* ad alios 50. annos Communi Placentiæ omnem temporalem jurisdictionem Bobii & districtus ejusdem sub annuo censu librarum 40. quemadmodum Obertus suus antecessor fecerat. Item an. 1290. dum Placentiæ in Castro S. Gervasii esset, attento quod Commune Placentiæ Locum & Castrum, & Burgum *Zavatarelli*, possessionemque, & jurisdictionem dicti Castri, jura dicti Episcopatus, occuparet, & detineret per *Ubertinum Landum* absque eo quod illa a dicto Episcopatu recognosceret, per *generalem exercitum obscidendo* dictum Ubertinum & sequaces, cum maximo labore & impensis ea

tandem *recuperavit* & *investivit* ad fictum perpetuum dictum Commune Placentiæ de dicto Castro, Loco, & Burgo Zavatarelli, ac Terris & Villis ad illum pertinentibus sub fictu seu canone librarum 70. Placentinarum.

XVI. Petrus de Rubiano Placentinus Ordinis Prædicatorum hanc obtinuit Sedem an. 1296., de quo S. Antoninus in Chronico, aliique, qui de viris illustribus Ordinis S. Dominici scripserunt. In registris de eo nullam mentionem factam invenimus. Vide Petrum Mariam Campi in Historia Ecclesiastica Placentiæ tom. 3. ad an. 1308.

XVII. Fr. Jordanus de Monte Cucco Placentinus Ordinis Prædicatorum ex Lombardiæ Inquisitore an. 1324., rejecto Henrico Durantis Præposito Ecclesiæ S. Brigidæ Placentiæ a Capitulo electo, huic Ecclesiæ præficitur a Joanne XXII., quo jubente pro recuperatione Terræ Sanctæ cruciatam publicavit. Cœnobium S. Columbani tam in capite quam in membris *reformavit*, Albertumque Abbatem deposuit. Hic fuit *administrator* Abbatiæ *S. Mauri de Pulcheria* inter Gavenum, & Taurinum sitæ. Olim Benedictini Ordinis nobile Cœnobium, quod nostra tempestate Clericis commendatur, antiquis Monachis seclusis.

XVIII. Calvus de Calvis Placentinus olim Canonicus & Vicarius Placentiæ ad hanc Sedem promotus ex Cathedralis Præposito an. 1339. Is fuit Episcopus annis 25., diem obiit an. 1364.

XVIIII. Robertus de Lanfranchis nobilis Pisanus ab Urbano V. huic Sedi præficitur anno

1364. De eo in tabulis ejusdem Eccleſiæ hæc habentur: = Hic multas conceſſiones, & inveſtituras fecit, & Caſtra, Oppida, Proprietates, Decimas, & jura Eccleſiæ, ac temporalem juriſdictionem ſatis amplam in Terris, Locis, Territoriis, Caſtris, Villis Romagneſii, Zavatarelli, Ruini, Trebechi, Lazarelli, Caſtaldæ, Mora-chi, Caſtellorum, & Dependentium *conceſsſit Domino Jacobo Del-Verme* militi Veroneſi, & anno 1388. cum Placentiæ moraretur in domo Equitis *Dondaſii Malvicini de Fontana*, dictus Robertus Epiſcopus eumdem *Dondaſium* & filios ejus legitimos maſculos, & deſcendentes in perpetuum inveſtivit de caſtro Durbechi, Monte-Roſſo, & ejus Caſtro, & toto Territorio, ac omnibus pertinentiis. Migravit ex hoc ſæculo an. 1396.

XX. Ubertus de Torano natus nobilis viri Franciſci Civis Placentini, ex Præpoſito Placentinæ Eccleſiæ a Bonifacio IX. electus an. 1396. ſedit annos 7. Bobii migravit anno 1404. ex lib. obligat.

XXI. Fr. Alexius de Seregnio Mediolanenſis, Ord. Minorum inſignis Theologus ab Innocentio VII. ad Epiſcopalem dignitatem evectus anno 1404., quam deinde Alexander V. an. 1409. ad Eccleſiam Vapicenſem in Gallis tranſtulit, ac poſtremo Placentiæ trono nobilitatus eſt anno 1412. Hic inveſtivit illos de Cella, de Caſtro & Territorio Calicis.

XXII. Fr. Lancellottus Fontana Placentinus Ord. Minorum ſub eodem Alexandro V. eodem munere functus eſt: electus an. 1409. die 5.

mensis octobris, finem vitæ fecit an. 1418. ex lib. oblig.

XXIII. Daniel de Paganis Canonicus & Civis Dertonensis a Martino V. hanc Sedem accepit an. 1748., ætatem extendit usque ad an. 1447. ex lib. oblig.

XXIIII. Martianus de Bucarinis Dertonensis a Nicolao V. an. 1447. 8. Idus septembris Bobiensibus jus divinum dicere jussus est. Ejus auspiciis, opera, & auctoritate *Monachi S. Benedicti* Congregationis *S. Justinæ* de Padua in monasterio S. Columbani introducti fuerunt (qua de re inferius dicemus). *Palatium Episcopale erexit* Cathedralem mirum in modum auxit. Obiisse notatur anno 1463., ita in cathalogo Ep. Bob. in fine synodi Cornaccioli Ep. edito.

XXV. Stephanus de Ghilinis (cujus Ord. non exprimitur) nobilis Alexandrinus ad hanc Sedem promotus an. 1465. excessit e vita initio anni 1472.

XXVI. Joannes de Mundanis Placentinus *juris utriusque Doctor* celebris, qui diu in Mantuana Ecclesia Vicariatum gessit ita laudabiliter & honeste, ut majorum, minorumque animos sibi redderet complicatos, unde a Sixto IV. an. 1472. hujus Ecclesiæ Episcopus renunciatus cum retentione Canonicatus, & Archidiaconatus, quos habebat in Placentina Ecclesia, idque de gratia speciali. Utrobique pietatis suæ, & religiosæ conversationis plura reliquit post se documenta. Prætiosa ejus *Mitra*, Baculus Pastoralis, aliaque argentea munuscula Bobii asservantur, tum & *liber* manuscriptus *Pontificalis*. Corpus S. Columbani decenti loco transtulit pridie kalendas septembris

an. 1482., pauloque post aliorum Sanctorum Corpora Bobiensis Monasterii transtulisse narratur in actis, quæ in ejusdem Cœnobii archivo asservantur. Placentiæ eodem an. 1482. valedixit huic mortali sæculo non sine opinione *sanctitatis*, ibidemque in Cathedrali sepulturam accepit juxta Chorum in marmoreo tumulo muro in eminenti loco infixo cum sequenti epitaphio:

Joannes Mundanus Doctor
Bobiensis Antistes et Placentiæ Archidiac.
Et Canonicus
Decedens in externa fact. memoria venerand.
Cineres locare suos jussit
Quod ipsius posteri cum effectu ut vides
Curarunt
Benevole quis es anno Domini
MCCCCLXXXII. XV. decemb.

Ejus corpus an. 1614. kal. decemb. in restauratione Chori, dum Archa movenda esset, inventum est integrum & incorruptum, magnum sanctitatis documentum, quod opinionem bene actæ ejus vitæ apud mortales auxit non parum.

XXVII. Luchinus de Trottis Archidiaconus Alexandrinus ad honorem hujus Sedis promotus an. 1482., excessit anno. 1494. Hic *Vermenses Dominos* ob defectum legitimorum succedentium ejicere curavit e Castris & Terris Ecclesiæ Bobiensis, cum Galeatium Sanseverinum ad feuda vocasset. Idem etiam in monumentis ejusdem Ecclesiæ *Comes Trebbiæ* passim vocitatur.

XXVIII. Bernardinus Ilcinus Etruschus de Monte Politiano Canonicus Regularis S. Augustini, qui erat *a Confessionibus Ducis Mediolani*, ab Alexandro VI. in gratiam ejusdem Ducis electus in Episcopum Bobiensem an. 1494., vitam liquit an. 1500.

XXVIIII. Joannes Bagarottus nobilis Placentinus, Canonicus & Archidiaconus ejus Ecclesiæ, electus in Episcopum Bobiensem an. 1500. die 8. aprilis, olim sub Innocentio VIII., cui charus fuerat, *litterarum Apostolicarum scriptor*, earumdem Regestri magister. Is fuit strenuus Ecclesiæ suæ vindex, cujus redditus auxit, Castra, & Loca Episcopatus, remotis Vermensibus, primum Comiti Lignano, deinde Galeatio Sanseverino in *feudum perpetuum* concessit. In Cathedrali Placentina præbendam ex propriis redditibus instituit, ibidemque solemni ritu altari dicavit an. 1509. Mediolani debitum naturæ persolvit anno 1521., quum huic Ecclesiæ præfuisset annos ferme decem & novem. Humatus jacet ibidem in Ecclesia S. Mariæ de Pace prope sacellum Beatissimæ Deiparæ Assumptæ ab ipso exornatum, ubi tumulum habet marmoreum sane non inelegans cum subscripto epitaphio, quod sibi vivens posuerat:

Jo. Baptista Bagarottus Episcopus Bobiensis
Et Comes
Dum se mortalem animo volvit vivens
Sibi P.
An. MDXIX.
Ne quid expectes amicos, quod tu per te
Agere possis.

XXX. Augustinus Cardinalis Trivultius hanc Ecclesiam perpetuo administrandam suscepit an. 1522. die 26. mensis sept. Cæterum cum per duos omnino annos præfuisset, eo munere, reservato sibi regressu, se abdicavit.

XXXI. Ambrosius Trivultius spectatissimi Ducis Joannis Jacobi Trivultii filius ex cessione Augustini Trivultii Cardinalis Bobiensem Sedem est assecutus an. 1524. die 27. mensis maii: hic primum sub Patre *in Gallicis Castris* illustria stipendia meruit, iisque *militaribus gradibus* est subvectus, qui summum deinceps Ducem viderentur repromittere. Sed cum amœniores litteræ vel inter arva jam pridem Ambrosii leniissent animum, facile inde fuit Ecclesiasticæ vitæ statum tranquilliorem illum amplecti, e strenuoque milite strenuiorem se Pastorem præbere. Præfuit igitur Bobiensi Ecclesiæ usque ad 1546., quo ipso anno dicitur excessisse e vita.

XXXII. Borsus de Merlis ex Corrigio Insubriæ Archipresbiter *S. Laurentii in Lucina*, Canonicusque *S. Mariæ Majoris* Romæ Trivultio subrogatus est, assentiente Cardinali Trivultio, cui ad hanc Ecclesiam redeundi jus erat, anno 1546. die 15. mensis novemb. Catalani Trivultii in Placentina Ecclesia *suffraganeus* fuit. Sedit annos 14., Episcopatu se abdicavit an. 1560. Romæ postremum diem obiit an. 1563., sepultusque est in Ecclesia S. Laurentii in Lucina cum sequenti epitaphio.

D. O. M.
Borsio Merlo Frae. F. Corrigien.
Hujus Ædis Archipresb.
Sanctæ Mariæ Majoris Canonico
Episcopo Bobiensi et Comiti
Jo. Peregrinus Frater et Heres
P.
Ann. agens LXXVII.
MDLXIII.

XXXIII. Sebastianus Donatus ex Borsi resignatione ad hanc eandem Sedem pervenit anno 1560. die 23. mensis novembris. Rexit eandem Ecclesiam paulo minus duobus annis, Mediolani decessit, & ibidem tumulatus fuit.

XXXIIII. Franciscus Abundius Castilionæus Mediolanensis, quem Pius IV. ad Bobiensem Sedem subvexit an. 1562., quem etiam ob ingentes exantlatos labores *pro celebratione* Concilii *Tridentini*, ac in memoriam *Cœlestini IV.* Summi Pontificis, & aliorum quatuor *Purpuratorum* ejusdem Gentis creavit *Cardinalem* anno 1565., qui tamen brevissimus Cardinalis fuit, decessit enim Romæ anno 1568., accepitque sepulchrum apud S. Mariam de Populo, ubi nobili monumento suffixum legitur epitaphium hic subscriptum, in quo etiam memoratur Jo. Jacobus Barii Archiepiscopus ibidem tumulatus.

D. O. M.
Francisco Abundio Castilionæo
Mediolanensis
Hieronymi Senatoris Mediolani Præsidis
Filio
S. R. E. Præsb. Card.
Cælestini IV. Pontif. Max.
Octaviani, Gothifredi, Brandæ, et Joannis
Cardin. gentili
Pio IV. Pont. Max. valde charo
Atque ab eodem ob fidem ac pietatem
Quam Episcopus Bobiensis
In Trid. Concilio præstitit in amplissimum
Collegium cooptato
Vixit an. XLV. obiit anno MDLXVIII.
VIII. kal. decemb.
Joseph Castilionæus J. C. hæres
Patrueli
Et Joanni Jacobo Archiepiscopo Barensi
Expecto donec veniat immutatio mea.

XXXV. Eugenium Camutium e Lugano Novocomensis ditionis Pius V. Bobiensem Episcopum adlegit 1568. die 19. mensis decembris. Sedit 34. annis, decessit Romæ an. 1602. relicta Ecclesia non parum perturbata, Episcopioque ruinis & squaloribus deformato.

XXXVI. Camillus Aularicus Alexandrinus, insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Modoetiæ Archipresbiter, utriusque signaturæ Referendarius eamdem Sedem conscendit an. 1602. die 26. mensis augusti. Synodum non semel habuit, Diœcesimque summa charitate invisit; postremo,

cum Apostolicus Visitator Papiensis Ecclesiæ esset, eo in munere diem clausit extremum an. 1607. 11. januarii, ad fores Ædis sancti Martini Fratrum Ord. D. Augustini Insubriæ Congregationis Alexandriæ Statellorum in laudem hujus Episcopi legitur sequens inscriptio:

D. O. M.
Camillo . Aulario
Patricio . Alex. Pio. V. Pont. Max. Unice. Dilecto
Utriusque . Signat . Refferend
Bobiensi . Episcopo
Doctrina . et . Religione . conspicuo
Qui . dum . Illustriss . ac . Reverend . Ordinarii
D . Gulielmi
Bastonii . Apost . in . Regno . Neapolit . Nuncii
Ticinen . Diœcesim . visitaret . Nomine
A . Paulo . V . Pont . Max . fuit . Delegatus
In . causa . quarta
Corporum . SS . Urbi . Ticini . subtractorum
Dumque . accuratissime . munus . utrumque
absolveret
Lenta . febri . vexatus
V . Id . Jan . MDCVII . Ætat . An . LXII
A . suo . Populo . Bobiensi . ab . ipsa . Civitate
Papiæ . in . qua . sepultus . est
Et . a . sua . Patria . Alexandrina . deploratus
Interiit
Cui . Religiosissimo . Antistiti . Jo . Franciscus . J. D.
Et . Blasius . Eq.
Cathaphrastus . Fratres . pietatis . et . observ . ergo
Ad . perpetuam . Memoriam . Lapidem . hunc
Posuerunt.

Google

XXXVII. Marcus Antonius Bellinus in Oppido Garulfi Diœcesis Novariensis natus, Philosophiæ ac utriusque juris prudentiæ operam dedit. Dum Mediolani Advocati munus exerceret, a S. Carolo Archiepiscopo Clericus, mox Canonicus Ordinarius Metropolitanæ Ecclesiæ, & *Archiepiscopalis Cancellarius* factus, eoque defuncto, a Duce Lotharingiæ ad consilia adscitus, inde in Hispaniam concedens, *Eboracensem Ecclesiam* titulo Supremi *Præsidis* rexit. In Galliam a Cardinali Lotharingiæ legato vocatus, *Auditoris, ac Datarii* munere apud ipsum diu mansit. Romam evocatus in Camilli Cardinalis Burghesii Patrocinium se recepit, qui mox summus Ecclesiæ Pontifex renunciatus sub Pauli V. nomine Bellinum *inter intimos* connumerari jussit, pauloque post Bobiensis Ecclesiæ Episcopum pronunciavit an. 1607. 12. febr. Præfuit laudabiliter annos undecim, obiit an. 1618. ætatis suæ sexagesimo secundo. Coactæ ab ipso Synodi MS. pauca supersunt.

XXXVIII. Franciscus Maria Abbiati Mediolanensis Canonicus Regularis Lateranensis, cui Paulus V. idem dignitatis onus demandavit an. 1618. die 3. decemb. Romæ consecratur a Joanne Gratia Mellino Cardinali in ipso festo S. Thomæ Apostoli. Natus Patre Francisco, & Celidonia Rusca, in Seminario Clericorum adscitus ad liberalium artium educationem: factus Canonicus Regularis Philosophiæ, Theologiæ, ac juri Pontificio in *Academia Patavina* operam dedit, celebrisque *Verbi Dei enunciator* evasit,

& in præcipuis Italiæ urbibus evangelizavit: Abbas S. Mariæ Albæ Casoratti prope Mediolanum, & S. Caroli Monatii prope Larinum Lacus creatus, a Paulo V. ad munus Episcopale eligitur. Bobiensem Ecclesiam pene deformatam restituit, auxit, & ornavit. *Templum Dominæ Mariæ de Auxilio* extra mœnia *erexit*. Episcopale palatium pene collabens in nobiliorem formam reduxit. Remotiores *Valles* Mediolanensis Archiepiscopatus jussu Federici Borromæi Cardinalis *invisit*. Ut omnibus modis posteritati prodesset in sua Diœcesi nullis laboribus pepercit. Obiit Gorgonzolæ an. 1650. Ibique est sepultus. Synodi quoque ab eodem habitæ sanctiones in Episc. Archiv. asservantur MS.

XXXVIIII. Alexander Porro Mediolanensis Ord. Clericorum Regularium, vulgo *Teatini*, in quo *Procuratoris Generalis* munus obivit, a Rege Hispaniarum, & a summo Pontifice Urbano VIII. valde acceptus, a quo Nuncius missus est, nec non etiam ab Innocentio X., qui Episcopum Bobii illum creavit an. 1642. ob præclara sua merita erga Sedem Apostolicam. *Palatium Episcopale* plane vacuum repertum, & valde antiquum ad recentem formam reduxit, & mobilibus ornavit: *Ecclesiam Cathedram* similiter reparavit, eamque variis suppellectilibus ditavit, atque in ea *Confraternitatem Defunctorum* instituit. *Ecclesiam B. V. de Auxilio* ad perfectionem reduxit: dum in Cathedrali reperiretur, & *fabros murarios* labentes observaret, eosdem signo crucis benedicens a periculo mirabiliter præservavit. Pacis

amator semper fuit, eumque in populo conservare semper studuit, seditiones & discordias componendo. Cum Dominis Feudatariis amicitiam semper servavit. Suum Clerum ita semper coluit, ut etiam illum reprehendendo amaretur ab omnibus. Obiit an. 1660. Mediolani, & sepultus fuit in Ecclesia S. Antonii sui Ordinis. Synodi, quam peregit, acta, prima sunt, quæ inveniantur impressa Mediolani per Ludovicum Montiam.

XXXX. Bartholomæus Capra Mediolanensis, Episcopus Bobii an. 1661. ab Alexandro VII. creatus fuit. Ecclesiæ suæ visitationem suscepit, & Synodum Diœcesanam semel & iterum habuit; videlicet an. 1674. & 1684. Cathedralem supellectilibus auxit. Ædificium pro Seminario Clericorum suscepit. Mediolani longam moram habuit penes Cardinalem Littam Archiepiscopum, cui valde erat acceptus, non sine tamen detrimento Ecclesiæ suæ Bobiensis, quæ interim varias passa est discordias, & calamitates. Porticus circa plateam B. V. de Auxilio ipse cœpit ædificare. Tandem Romam profectus est apud Innocentium XI. Synodorum ejusdem decreta manuscripta in Episcopali Tabulario asservantur.

XXXXI. D. Carolus Joseph Morotius Monregalensis Patritius, Abbas Generalis Monachorum Reformatorum S. Bernardi multis scriptis editis, ineditisque clarus electus fuit ab Innocentio XII. P. M. anno 1693. Episcopus Bobiensis, cujus tamen possessionem, variis distractus guberniis Urbis veteris, foro Cornelii, & Balneo-Regii, non iniit. Ad Episcopatum Salutiensem an. 1698.

Victorii Amedei Sardiniæ Regis munificentia translatus fuit. Obiit anno 1732. Videsis Eq. Grassi Mem. Stor. Della-Chiesa Vescovile di Monte Regale in Piemonte tom. 1., pag. 214. e 215., & inscriptione dicti Episcopi positus in sacello SS. Sacramenti Ecclesiæ Cathedralis, & in aula Palatii Episcopalis Salutiarum Typis mandatas ab eodem claris. Eq. & Can. Grassi in laudato ejus opere.

XXXXI. 2.° Ambrosius Crucejus Mediolanensis Ord. S. Benedicti ab Innocentio XII. creatus sedit anno 1698. Hic anno 1709. die 4. decembris publicare fecit contra Dominos Comites Vermenses, & renovare, antiquas protestationes causa usurpationis ab ipsis factæ ut prætendebatur, Loci, Territorii, & Vallis Romagnesii, ut apparet ex publico Instrumento rogato a Leonardo Buelli die & anno ut supra. Obiit anno 1713., sepultusque fuit in Sarcophago quem sibi construere fecit, super quo legitur hoc epitaphium:

Ambrosius Crucejus Patritius Mediolanensis
Episcopus Bobbii et Comes
Ætatis anno 72. obiit die 19. aprilis
1713.
Non respexit carnem nec sanguinem
Et sic propriam dilexit sponsam
Ut totum ipsi, mirum? nil sibi servarit
At nunc, disce Lector, plus quam dedit
Habet.

XXXXII. Carolus Franciscus Gallarinus Mediolanensis a Clemente XI. Bobiensis Episcopus creatus an. 1714., duobus annis Episcopatum tenuit, & quolibet anno tributum, seu fictum ipsi solutum a Dominis Comitibus Jacopo & Carolo fratribus Vermensibus non recusavit, præmissis tamen consuetis protestationibus, ut ex Instrumentis a Notario Antonio Francisco Olmi rogatis annis 1714. 8. januarii, & 1715. 10. decembris.

XXXXIII. Idelphunsus Manara Mediolanensis Clericus Regularis Sc. P. sub præfato Clemente XI. Bobiensem Episcopatum anno 1716. obtinuit, & quoad Vermenses Comites prædecessorum suorum est vestigia secutus pro castro *Zavatarelli*. Obiit an. 1726.

XXXXIV. Carolus Cornaccioli Mediolanensis, Ord. Carmelitarum a Benedicto XIII. ad dignitatem Episcopalem evectus an. 1726. Synodum celebravit an. 1729., quæ typis Petri Antonii Frigerii extat impressa Mediolani. Sub ipso non comparuit Comes Federicus Vermensis uti Vassallus ad juramentum fidelitatis præstandum (ut ex Instrum. rogat. a Canonico Augustino Olmi Cancellario Episcopali an. 1736. 7. jan. pro castris *Lazarelli*, *Costalde*, & *adjacentibus*. Obiit an. 1736. & in Ecclesia Cathedrali sepultus fuit.

XXXXV. Doctissimum celeberrimumque fratrem Josephum Ludovicum de Anduxar Ord. Prædicatorum, cujus memoria semper in benedictione erit, Clemens XII. Pontifex Maximus ad Bobiensem Episcopalem Sedem evexit, cujus jura

totis conatùs est viribus. Namque non sòlum fidelitatis juramentum, quod Comes Federicus Vermensis exhibebat pro feudis Lazarelli, Costaldæ & Moraschi constanter admittere recusavit anno 1738. 13. maii, ut ex Instrumento Canonici Augustini Olmi Episcop. Cancellarii: verum etiam an. 1741. 7. junii præfati Comitis Procuratori intimavit pro feudis prædictis caducitatem, tum quia prætendebatur non comprehensus in antiquis Investituris dictus Comes Federicus; tum quia Episcopo Cornacciolo prædecessori suo fidelitatis juramentum præstare noluerat: tum denique eo quod sine directi Domini consensu plura bona in Investituris comprehensa distraxerat. Duas Synodos doctrina, & Dei spiritu plenas, celebravit; primam videlicet kal. maii an. 1740., secundam sextam dicti mensis anno 1742. impressas Placentiæ typis Jacopatii. Monachorum S. Columbani, aliorumque omnium Casinensis Congregationis amantissimus, ita ut postquam ad Episcopatus Dertonensis cathedram translatus fuit, suum Episcopale palatium pro Monachòrum transeuntium hospitio haberetur ab omnibus. Tandem meritis onustus, senioque confectus, huic terræ valedicens, in cœlum migravit an. 1782.

XXXXVI. Successit Ludovico de Anduxar, Benedicto XIV. regnante Bernardinus Campi Mediolanensis Præpositus ac Parrochus Cotonii Laudensis Diœcesis an. 1743., qui suum prædecessorem imitatus præfatum Comitem Federicum Vermensem ad fidelitatis juramentum pro prædictis castris Lazarelli, Costaldæ, & Moraschi

admittere renuit prætensæ caducitatis causa, ut videre est in Instrumento a Leonardo Taffirelli Cancellario Episcop. rogat. an. 1744. 31. octobris. Obiit an. 1746., fuitque in Cathedrali humatus.

XXXXVII. Gaspar Lancellottus Birago Mediolanensis Ordinarius Archiepiscopalis Cathedralis Canonicus Bobiensem Episcop. sub Benedicto XIV. vix adeptus, suæ novæ Sedis jurium ignarus, admisit tandem aliquando Comitem Federicum Vermensem ad fidelitatis juramentum præstandum pro castris Lazarelli, Costaldæ, Moraschi &c. consuetis tamen præmissis exceptionibus & protestationibus, nec non Ecclesiæ, Mensæque Episcopalis rationibus reservatis, ut in Instrumento a præfato Notario Taffirelli rog. an. 1747. 15. junii. Sed non multo post totis suis ingenii viribus nisus est Vermenses omnes cunctis feudis & castris, quæ Episcopatui Bobiensi usurpata dicuntur, expoliare. Supplicem namque libellum Carolo Emanueli Optimo Sardin. Regi porrexit, quo, non sine improbo labore, conatur probare multiplicibus monumentis ordine chronologico expositis, omnia feuda, castra, terras &c. a Vermensibus Comitibus occupata, fuisse vi & fraudibus Bobiensi Episcopatui absque ullo jure legitimo ablata. En hujus Opusculi titulum: = Serie di fatto, e sommario cronologico di tutto il seguito circa i castelli, feudi, giurisdizioni, pertinenze, dritti, terre, beni, e ragioni della Chiesa, e Mensa Vescovile di Bobbio, a di favore contro li signori Conti

Dal-Verme, signori Marchesi Malaspina, ed altri, dalli secoli scorsi a questa parte =. Tota hujusmodi historici *facti* machina innititur Diplomati ab Augustissimo Imperatore Ottone II. dato Mediolani in monasterio S. Ambrosii an. 972. die 25. julii. At (bona Episcopi Lancellotti venia dictum sit) non Ecclesiæ Cathedrali, neque Bobiensi Episcopo nondum in rerum natura existentibus, sed Ecclesiæ S. Columbani, ejusque cœnobio ab Imperatore Ottone II. concessum fuit laudatum Diploma. Ipsum legere potes, benigne Lector, sub num. 96. lib. 1. hujus operis.

Synodum hic Episcopus celebravit, cujus acta typis edita fuere Mediolani. Ob dissidium inter ipsum & Civitatis Administratores excitatum super jure exigendi vectigalia pro introductione vini Placentini, Episcopo ab hujusmodi onere immunem esse prætendente, illos cum Publicanis, omnibusque Actoribus & Consultoribus excommunicationis pœna multavit eo quod vinum Placentinum suorum Clericorum Seminario destinatum prædicti Publicani extra mœnia intercepissent, obsignassentque.

Non inelegans Altare majus marmoreum excitari curavit, ut ex sequenti inscriptione eidem affixa liquet.

D. O. M.
Eximia Piissimi Carol. Emanuel. III. Sardin.
Regis Dni Clementissimi largitate
Atque ex legato Illmi et Rmi Fris Dni Caroli
Cornaccioli Epi Bobien. et Comitis
Piorumque eleemosinis
Gaspr Lancellottus Biragus Patrit. Mediol.
Bobien. Epus et Comes
Erigendum curavit.
Erectumq. solemni Ritu consecrabat.
An. Jubilæi MDCCL. XV. kal. Novembr.

Tandem morbo & ærumnis confectus obiit an. 1765. die 14. novembris, expleto decimo nono Pontificatus anno, sepultusque fuit in Ecclesia S. Mariæ de Auxilio ut patet ex epitaphio, quod ipsemet exaraverat, ut infra

D. O. M.
Gaspar Lancellottus Biragus
Patritius Mediolanensis
Expleto per annos XIX. sub Patrocinio B. V. M.
Bobiensis Ecclesiæ Pontificatu
sub ejusdem tutela
Ossa et Cineres suos humillime deposuit
Anno Domini MDCCLXV.
XVIII. kalen. Decemb.

XXXXVIII. Gaspari Lancellotto Birago in Episcopali Sede Bobiensi successit Fr. Ludovicus Bonesius, dictus etiam Tarinus, ex Capuccinorum Ordine, qui ex Procuratore Generali sui Ordinis in Romana Curia electus Episcopus, &

Clemente XIII. regnante consecratus fuit. Hic Clericorum Collegium ad elegantiorem perfectioremque statum redegit; piorum benefactorum legatis Xenodochium prope mœnia extra Civitatem in prospectu Ecclesiæ S. Mariæ de Auxilio, porticibus, quos circa plateam hujus Ecclesiæ ædificari curaverat Bartholomæus Capra Episcopus, ut Bobiensibus nundinis inservirent, magna ex parte destructis, ut construeretur totis viribus intendit, in quo quatuor hospitari possunt infirmi. Repentino morbo correptus extremum diem clausit die 26 julii an. 1779.

XXXXIX. Fr. Carolus Nicolaus Maria Fabi Mantuanus Viadanæ natus Ord. Fratrum Eremitarum S. Augustini Congregationis Longobardiæ, ex publico sacræ moralis Theologiæ in Taurinensi Regio Lyceo Professore ad Bobiensem Episcopatum evectus, sub Pio VI. consecratus an. 1781. die 23. mensis septembris, hanc pacifice regit Ecclesiam.

Lauda Sanctos post consummationem.

NOTA PRIMA

Inter Martianum de Bucchärinis, & Stephanum de Ghilinis reperitur in aliquibus cathalogis Antonius Bernutius Parmensis an. 1463.

Ita quoque inter Bartholomæum Capra, & Ambrosium Crucejum invenitur Carolus Joseph Morozzius Pedemontanus Cisterciensis an. 1693.

Hi forsan Episcopi electi suum Episcopatum adipisci non potuerunt, quonam fato nescio.

NOTA II.

Epiſcopus Bobienſis diu fuit *Archiepiſcopi Ravennatis ſuffraganeus*, donec Innocentius II. an. 1133. novæ *Metropolitanæ Januenſi* attribuit.

Eccleſia Cathedralis Deiparæ, & Petro Apoſtolo dicata eſt antiquæ ſtructuræ. In ea Sanctorum Blaſii & Chriſtophori reliquias venerantur fideles. Undecim habet Canonicatus, inter quos duas Dignitates, Præpoſituram videlicet & Archidiaconatum, aliosque plures minoris dignitatis Clericos.

LIBRO TERZO

PARTE TERZA

SERIES BOBIENSIUM ABBATUM

PROEMIUM

Alterum & immediatum post S. Benedictum fuisse S. Columbanum in Occidente Monachorum Patriarcham nemo ibit inficias qui non ignoret Monasteria Fontanense, Luxoviense, & Anagratense in Gallia, aliud Brigantii cum Ecclesia S. Aureliæ dicata in Germania, quintum & ultimum Bobii prope Placentiam ab ipso fuisse fundata, qui & Regulam, quam Honorio Papæ, Bertulfo Columbani discipulo exponente, gratam probatamque fuisse, ejusdem Privilegium sub num. 82 lib. 1 exhibitum manifestat, suis Monachis observandam tradidit. Verum quidem est non multo post Regulam quoque S. Benedicti Columbanios Monachos fuisse amplexatos, ut patet ex Privilegio a Papa Theodoro Abbati Bobuleno dato IV. nonas maii Imperii Domini Piissimi Augusti Constantini anno secundo, Consulatus primo (vid. Margarinum Bullarii Casii tom. 2. const. 3.). Hoc ipsum testatur idem Muratorius in suis Annalibus Italiæ ad an. 612 his verbis: = S. Colombano Fondatore del Mona-

stero di Luxevils, e di altri Monasteri, i quali riceverono da lui una Regola diversa da quella di S. Benedetto, ma che non istette molto ad ammettere ancora la Benedittina =. Interim quod ad rem pertinet, pro certo habetur a S. Columbano prima Monasterii Bobiensis fundamenta jacta fuisse circa an. 919 ex munificentia Agilulfi Regis, cujus Diploma legi potest sub num. 46 lib. 1, consequenter ipsum Proto-Abbatem ejusdem fuisse. Sit igitur.

Series Chronologica Abbatum
Monasterii Bobiensis.

circa
an.
599 S. Columbanus Proto-Abbas, & Fundator
— Bobiensis Cœnobii obiit an. 615 die 23 novembris (v. num. 44 lib. 1).

an.
615 S. Attalus sive Áttalas, cujus fit mentio
— in primo Diplomate Flavii Adjuvaldi sub num. 67 libri primi hujus Operis. Cætera ad ipsum spectantia in ejus vita videri possunt. Rexit Abbatiam per annos 12 (*a*);

(*a*) *Ved. nn.* 79, & 82 *lib.* 1.
S. Attalas rexit 12 *annis Abbatiam Bobii; Jonas Scriptor vitæ ejusdem Sancti testatur se vixisse novem annos sub regimine illius, ut ex cap.* 5 *partis primæ hujus libri liquet = Ergo Jonas Bobium petiit anno* 3.° *post S. Columbani obitum.*

ad cœlum transmeavit mense martii an. 627. Hujus ejusdem S. Abbatis legitur nomen subscriptum chartulæ oblationis sub n.° 54 lib. 1 expositæ.

an. 627 S. Bertulphus, cujus fit mentio in alio Diplomate eidem dato a Flavio Adiuvaldo, ut videre est sub num. 68 lib. 1, rexit Abbatiam 13 annis. Privilegium exemptionis a jurisdictione cujuscumque Episcopi ab Honorio Papa obtinuit, quo Monasterium S. Columbani Romanæ tantum Ecclesiæ subjicitur. Privilegium hoc legi potest sub num. 82 lib. 1. Cætera, quæ innuimus, in ejus vita, quæ prostat in parte prima hujus tertii libri, referuntur. Huic vero terræ valedixit annum circa 641.

an. 641 S. Bobulenus Abbas vel Bobulus successit Bertulpho. De eo legitur in chronico Bobiensi MS. quod extat in Bibliotheca Aniciana: *De eo non celebratur, quamquam fecerit miracula, ut in antiquis libris habetur*. Iisdem obtinuit aliud Privilegium exemptionis, ut supra, à Papa Theodoro, quod incipit: = Theodorus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Bobuleno Presbitero, & Abbati Ven. Monasterii B. Petri Apostolorum Principis Ebobio constituti &c. Datum quarto nonas maii, Imperii Domini Piissimi Augusti Constantini anno secundo, Consulatus primo, Indictione pri-

ma = (a) =. In hoc Privilegio narratur, quod tunc temporis = erant centum quadraginta Monachi militantes sub Regula Divi Benedicti =. Eidem Bobuleno Flavius Radualdus Diploma concessit confirmatorium prædecessorum anno Christi 654; cujus exemplar antiquum asservatur capsa 69. I. E. hujus Archivii. Quo tempore ex hac vita excesserit, ignoratur: nam ab an. 654 usque ad 747 desiderantur cujuscumque generis monumenta, præterquamquod post Bobulenum reperitur recensitus

B Concellus sive Cungellus. Hic inter Sanctos habetur, & ideo in quodam MS. ponitur post reliquos Abbates, qui Sancti ante illum fuere, licet quo tempore vixerit, ignoretur. Vixit etiam in eodem Monasterio Luitprandi Regis temporibus sequens

B. Cumianus Episcopus, de quo in Chronico Bobiensi hæc habentur =: S. Cumianus Episcopus in Scotia septuagesimum quintum annum jam agens, Dei amore ignitus ad fines Italicos devenit, locatus in Monasterio Bobio, videlicet S. Columbani. In quo quidem Monasterio sub dogmate, idest Constitutionibus S. Columbani, annis viginti & plus strenue ministravit; fuit enim mitis, prudens, pius fratribus, atque pacificus, moritur ibi ætatis suæ annis completis nonagintaquinque, mensibusque quatuor tempo-

(a) *Vid. Margarinum Bullar. Casin. Tom. I Constit.* 2.

ribus Luitprandi Regis Longobardorum, qui fabricari fecit in honorem ipsius notabile monumentum inscriptos hos versus continens.

Hic sacra Beati membra Cumiani solvuntur,
Cujus cœlum penetrans anima cum Angelis gaudet.
Iste fuit magnus dignitate, genere, forma.
Hunc misit Scotia fines ad Italicos senem:
Locatus Ebobio Domini constrictus amore,
Ubi venerandi Dogma Columbani servando
Vigilans, jejunans, indefessus, sedulo orans
Olympiades quatuor, uniusque curriculo anni
Sic vixit feliciter, ut felix modo credatur.
Mitis, prudens, pius fratribus, pacificus cunctis,
Huic ætatis anni fuerunt nonies deni
Lustrum quoque unum, mensesque quatuor simul.
At Pater egregie potens intercessor existe
Pro gloriosissimo Luitprando Rege, qui tuum
Pretioso lapide Tymbum decoravit Devotus.
Si tuum manifestas almum, ibi tegitur Corpus.
Positus est hic Dominus Cumianus Episcopus
XIV. kal. septemb. fecit Joannes =

In Calendariis antiquis hujus Cœnobii ejus festum legitur quinto idus junii. Ita quoque in nostro Codice signato N. ✠ ad diem 9 junii legitur *S. Cumiani;* uti etiam in Codice MS. Joannes Colganus vir doctus, qui nuper acta Sanctorum Veteris, & Majoris Scotiæ seu Hiberniæ Insulæ scripsit, agit de hoc S. Cumiano ad diem 12 januarii, nihilque definit cujus Ecclesiæ fuerit Episcopus.

Tam prædicti Concelli, quam B. Cumiani ossa in hujus Ecclesiæ S. Columbani Tuburio hoc est Ecclesia inferiori quiescunt.

an.

747 Anastasius Abbas, cujus mentionem facit Flavius Rachis Longobardorum Rex in suo Diplomate anni 747, in quo eidem, suoque Cœnobio restituit bona subtracta tempore Luitprandi Regis, recognita per Missos ejusdem Rachis Regis per sacramenta adsignatis confinibus versus Nuram Fluvium, & Alpes circumstantes &c. cujus Diplomatis exemplar asservatur in nostri Archivii capsa 69. I. C.

an.

800 Gundebaldus, sive Guinibaldus, cujus nulla quidem in hujus Monasterii Archivio fit mentio, quod tamen mirandum non est, eo quod pluries fuerit rapinis obnoxium. Cujusdam Gundebaldi mentionem facit Ughelius tom. I. pag. 900, ubi hæc habet =: Gotofredus Marchionis Attonis Filius Proavus Comitissæ Matildis, Episcopus Lunensis, non minori augendæ, illustrandæque Ecclesiæ suæ zelo, quam antecessor Adalbertus arsisset, flagravit, summaque contentione immunitatum confirmationem novis Privilegiis ab Ottone II., dicto tertio, an. 981 obtentis consecutus est, speciatim vero confirmationem sententiæ a Gualchero Judice, Carolo Magno, Summique Pontificis Legatis præsentibus in favorem Lunensis Ecclesiæ contra *Gundebaldum Bobiensem*

Abbatem datæ comparavit; hujus documenti tenor est hujusmodi: *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Otto Divina favente Ecclesia Imperator Augustus. Si petitionibus fidelium nostrorum. . . . . Præterea confirmamus decimam VI. Villarum Viuſſula, Pontilla, Valeburdulasca, Teurano, Rupinalia, & Constello, quam Gualcherius S. Lunensis Ecclesiæ super Gulnebaldum Bobiensem Abbatem præsentia Caroli Imperatoris, & Legatorum S. Sedis Apostolicæ præjudicium vidit &c.* = Sed hic est = alius Gundebaldus, nempe tertius in ordine Abbatum Bobiensium, de quo infra ad annum 981.

an.
833 Valha vir eruditione, pietate, & Regio Sanguine satis notus, erat enim Filius Bernardi Filii Pipini, & Patruus Caroli Magni. Hic prius fuit Abbas Corbejæ, & plures calamitates perpessus, donec an. 833 precibus Gregorii Papæ Quarti victus in Italiam venit, & Bobiense Monasterium rexit usque ad an. 836; quo naturæ concessit, fuitque in ea Ecclesiæ parte tumulatus, qua Sacræ exuviæ S. Columbani jacebant (*a*).

(*a*) *Vid. n.* 89 *lib.* 1. *Vide ulterius* DENINA Rivoluzioni d'Italia. *libro VIII. capo VII. & VIII.*

an. Hilduinus Abbas & Comes Lotharii Im-
846 peratoris Archicancellarius, & Coloniensis
—— Ecclesiæ Archiepiscopus ab eodem Imp. Diploma obtinuit actum Gandulfi Villa in Palatio Regio 18 augusti an. 846, quo *Comitatus Bobiensis cum mero, & mixto Imperio* Cœnobio B. Columbani conceditur, & de eodem Comitatu præfatum Abbatem Hilduinum *per annulum investivit.* Itaque inter Monasterii S. Columbani Abbates primus est Hilduinus, qui comitis titulo insignitus reperiatur, vir quidem insignis, & summa apud Aulam auctoritate pollens. Hoc Diploma autenticum conservatur in Columbiani Archivii capsa 69. II. H., legi quoque potest in Bull. Cas. Tom. 1 Const. 32.

an.
861 Almaricus Comensis Episcopus, Patria
—— Papiensis, Monasterii Bobiensis Abbas, & Comes a Ludovico II. Imp. per amplum Privilegium obtinuit in favorem Monasterii S. Columbani præcedentium Diplomatum confirmatorium, actum Maringo Palatio Regio nonis octob. an. 861. Hujusmodi Privilegium autenticum asservatur in dicto Archivo capsa 60. III. D. Et videri potest, si lubet, penes Margarinum ut supra Const. 38.

an.
884 Guinibaldus secundus Abbas & Comes,
—— cujus memoriam nobis servavit Diploma Caroli Mani, seu Donatio Silvæ cum Curte

in Monte Longo, & Alpis, quæ vocatur ad mare, facta eidem Abbati, cujus exemplar aſſervatur in præfato Archivio capsa 60. I. P.: nec non aliud Diploma ejusdem Caroli Mani confirmatorium præcepti Ludovici Imp. pro omnibus bonis, & juribus Monasterii an. 884, quod aſſervatur capsa 58. I. O. & 60. II. I.

an.
893 Agilulphum Abbatem & Comitem tres successivi Imperatores honore prosecuti sunt. Nam ejus favore Carolus III. confirmavit Monasterio S. Columbani Comitatum Bobiensem cum tota jurisdictione, & potestate, Diplomate dato 10 kal. maii an. 893. Wido etiam confirmavit omnia Monasterii bona cum omnimoda immunitate Diplomate dato tertio idus aprilis, Papiæ an. 895. Denique Lambertus Imperator concessit omnimodam immunitatem, & confirmavit Privilegia Prædecessorum Imperatorum Diplomate dato in Curte Marinæ kal. augusti an. 896. Primi Privilegii exemplar asservatur in præfati Archivii capsa 60. I. G. secundi capsa 69. III. G. tertii vero capsa 60. III. F.

an.
900 Theodelasius Abbas & Comes, cujus occurrit mentio in quadam Charta Judicati habiti in Palatio Regis Berengarii signata an. 28 Regni ejusdem, idest an. 900, quæ asservatur capsa 60. I. K.

Præterea ab eodem Berengario geminum obtinuit Diploma Theodelasius, nempe unum an. 903. *Tertio idus septembris actum apud Ecclesiam S. Petri Curte nostra Sulcia*, quo eidem Abbati & Monasterio confirmat Privilegia Pontificum, Imperatorum &c.; & nominatim Monasterii bona, & jura recipiendo in suam protectionem; quod Diploma asservatur capsa 69. II. N.: alterum *actum in Palatio Ticinensi kal. novembris an.* 903., quo eisdem Abbati & Monasterio concedit, ut in quibuscumque controversiis circa bona & jura auctoritate Regia stetur testimonio præstito per homines idoneos & veraces; quod secundum Diploma custoditur in capsa 69. III. E.

Idem Theodelasius an. 917 fecit permutationem quamdam bonorum cum quodam Rothlario die 13 martii, cujus permutationis memoria reperitur in capsa 60. I. C.

an.
918 Silverandus Abbas & Comes, ut videre est in historia Translationis Corporis S. Columbani e Bobio Papiam, exposita in libri secundi parte quarta cap. 2.°

an.
928 Gerlannus Abbas & Comes sub Hugone Rege Longobardorum, ex consilio ejusdem Regis, Corpus S. Columbani Papiam transferendum curavit ad emolliendos eorum animos, qui bona Monasterii usurpaverant. Exitus hujus Translationis non fuit vanus, ut videre est in libri secundi mox citati parte quarta.

an. 940 Luitfredus Abbas & Comes, cujus notitiam posteris dedit Hugonis & Lotharii Regum sequens Diploma an. 940, quo ipse Luitfredus Bobiense Cœnobium regebat =: In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Hugo, & Lotharius divinæ providentiæ clementia Reges &c. Dat. 13 kal. aprilis an. 940. Actum in præfato Bobiensi Cœnobio feliciter. Hujus Diplomatis exemplar est in capsa 60. I. H. & penes Margarinum Bul. Cas. Tom. 1 Constit. 50.

an. 954 Giseprandus Abbas & Comes. Hic erat Episcopus Dhertonensis, & Abbas Monasterii Bobiensis, ut constat ex quadam charta permutationis signata an. XI° Dominorum Berengarii & Adalberti Regum, quæ extat in capsa 60. I. N. Ejusdem quoque fit mentio in Ottonis III. Diplomate an. 998 (a).

an. 972 Petrus primus Abbas & Comes. Hic ab Ottone I. Imperatore obtinuit Diploma, quo confirmat Abbatibus Monasterii Comitatum Bobiensem cum omnibus ejusdem pertinentiis juxta Prædecessorum Diplomata. *Datum VIII. Kal. mensis Augusti anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXII. Imperii vero Domini Ottonis XI. Indictione XV.*

(a) *Vid. num.* 139 *lib.* 1.

Actum Mediolani, in Monasterio S. Ambrosii. Exemplar autenticum hujus Diplomatis asservatur capsa *69.* II. L., & videri potest apud Margarinum. Tom. 1 Constit. 56.

Aliud quoque Diploma ab Ottone II. an. 977 die secunda aprilis, quo investivit de Comitatu Bobiensi per annulum aureum prædictum Petrum Abbatem, & successores cum omnibus juribus. Exemplar recognitum habetur capsa *69.* II. G., & apud Margarinum Bull. Cas. Tom. 1 Const. 58.

an.
981 Guinibaldus tertius, Abbas & Comes Bobiensis Monasterii. Ad hunc spectant quæ retulimus sub Guinibaldo primo an. 800.

an.
983 Gerbertus Abbas & Comes. Hic ex simplici Monacho Abbatiæ Auriliacensis favore Ottonis II. factus est Abbas Bobiensis, ubi tamen brevi tempore commoratus est; cum enim rem familiarem Monasterii, & jura ejusdem usurpata reperisset, favore ejusdem Ottonis II. Episcopus Remensis salutatur, a qua Sede expulsus, Archiepiscopus Ravennæ Ottonis III. gratia designatur, unde post mortem Gregorii Papæ V. ad supremum Ecclesiæ Clavum elevatur sub nomine Silvestri II. Hujus Pontificis memoria (*a*)

(*a*) *Ved. num.* 138 *lib.* 1.

immortalis erit Monasterio Bobiensi tum propter eminentiam honoris tanti Præsulis, tum propter amplissima Diplomata, de quibus infra, quæ pro vindicanda re Monasterii obtinuit.

an. 999 Petrus Aldus Abbas & Comes, qui an. 999 ad instantiam prædicti Gerberti, tunc Silvestri Papæ II., ab Ottone III. Diploma obtinuit, quo idem Imperator dicto Petro Aldo Abbati confirmat Comitatum Bobiensem, & ejus successoribus in perpetuum jure honorabilis feudi cum omni suo honore, & jurisdictione. Hujus Diplomatis exemplar autenticum servatur capsa 69. II. C., & exponitur a Margarino Tom. 1 Const. 67.

an. 1009 Placidus a Papia Abbas & Comes. Hujus memoriam nobis exhibet campanula parva, quæ an. 1774 die 26 septemb. ad sonum vesperarum fracta est, & quæ eodem an. Placentiæ fuit refusa cum hac » inscriptione =: Quod tibi Placidus a » Papia Abbas Antonii nomen Crucifixo » invocato de anno 1009 imposuit, hoc » renovat auspice Columbano D. Brunus » Solaro ab Asta Bobii Prior an. a Chri» sto nato MDCCLXXV =.

Post Placidum a Papia usque ad annum 1076 nullus reperitur Abbas, qui Monasterio præfuerit, forsan quod per

Præpoſitos, vel potius (quod probabilius eſt) per Episcopos poſt annum 1014 adminiſtratum fuerit. Enim vero anno

1073 Reperitur Guernerius quidam Epiſcopus Abbas Monaſterii S. Columbani. Nam extat quædam donatio facta per quemdam Giſelbertum Presbyterum *sub Guernerio Epiſcopo in Monaſterio S. Columbani*, quæ verba innuunt hunc Monaſterii Abbatem fuiſſe. Hujus donationis charta extat in capſa 60. II. I. Extat etiam quædam charta donationis Opizonis cujusdam Epiſcopi favore Monaſterii Bobienſis, in qua fit mentio etiam Sigifredi, & Luizonis Bobienſium Epiſcoporum, qui donatores Monaſterii indicantur.

Nec mirum his temporibus Bobienſes Epiſcopos ſimul & Abbates nominari; etſi enim hoc ſæculo, ſcilicet an. 1014, Bobienſem Eccleſiam in Epiſcopatum erectam fuiſſe traditio evincat, tamen qui primus hanc Epiſcopi dignitatem obtinuerit, non omnino certum eſt, & eſt valde probabile hac ætate vel Epiſcopos Bobienſes ex Abbatibus Monaſterii electos fuiſſe, vel eoſdem Epiſcopos, ut Abbates ſimul, rexiſſe Monaſterium (a).

(a) *Vid. num.* 109 *lib.* 1.

an. 1076 Domnus Lanfranchus Abbas. Hic primus est, qui cum *Domni* prænomine inveniatur. Hunc Monasterii S. Columbani Abbatem fuisse probatur duplici Instrumento, quorum unum spectat ad annum 1076, & habetur capsa 69. I. Gg., alterum factum fuit an. 1077, & servatur capsa 69. I. B, & in utroque Abbatis Lanfranchi fit mentio.

an. 1087 Domnus Jacobus primus Abbas renovavit hoc anno quamdam Investituram simul cum Capitulo. Notatu dignum est Monasterii Capitulum fuisse convocatum in hac renovatione, quod ante hæc tempora nullibi reperitur. Charta hujus Investituræ asservatur capsa 69. I. Nn.

an. 1096 Domnus Gandulfus Abbas, sub quo favore Monasterii S. Columbani munificentissima donatio facta fuit per Dominum Albertum Episcopum Ecclesiæ Bobiensis. Hujusmodi donationis largitæ an. 1098 exemplar habetur in capsa 48. I. Q.

an. 1134 Simeon Malvicinus Placentinus Abbas. In cathalogo, qui asservatur in hujus Monasterii tabulario, prædictus Simeon non solum inter Bobienses Episcopos, sed etiam inter S. Columbani Abbates numeratur.

an. 1143 Oglierus Malvicinus Simeonis præfati Nepos ex Abbate Episcopus creatus fuit. In præcitato cathalogo hæc de eo notantur =: Hic ex Abbate Episcopus Bobiensis creatus, acerrimus Monasterii persecutor fuit =. Vide Epistolam a Præposito, & Monachis S. Columbani scriptam ad Fridericum Imperatorem contra Oglierum Abbatem sub num. 94 lib. 1. Extat Lucii secundi Privilegium sub hoc Abbate Monasterio S. Columbani concessum, in quo præter cætera, hæc leguntur =; « Obeunte vero » te nunc ejusdem Loci Abbate, vel » tuorum quolibet successorum, nullus » ibi qualibet subreptionis astutia, vel » violentia præponatur, sed liceat vobis » communi consilio, vel parti consilii » sanioris, secundum Dei timorem, & » B. Benedicti Regulam, absque illius » contradictione Abbatem eligere. Datum » Laterani idib. martii. Indict. 7 anno » 1143 Pontificatus vero Domini Lucii » Papæ anno 1 =. Unde infertur Monachos S. Columbani jam tunc temporis Regulam S. Benedicti amplexatos fuisse.

an. 1153 Anselmus Abbas, qui ultimus Comes *Bobii* designatur in præcitato cathalogo, fortasse quia ultimus obtinuit Imperatorium Diploma pro Comitatu Bobiensi favore Monasterii. Enim vero hoc anno

1153. 28 martii Fridericus Romanorum Rex Augustus Diploma donavit, quo B biensis Comitatus fines enumerat, eumque Anselmo Abbati Bobiensis Cœnobii confirmat unacum mero & mixto imperio. Datum Constantiæ V. Kalen. Aprilis anno Regni ejus secundo. Hujus Diplomatis exemplar legi potest apud Margarinum Constit. 174. Sicuti etiam alium Dat. 10 Kal. Apr. ejusdem anni *(a)*.

an. 1157 Fulconus Abbas, cujus nulla alia occurrit mentio, præterquam in præcitato cathalogo.

an. 1173 D. Manfredus Abbas. Hunc memorat Investitura quædam perpetua, quæ asservatur capsa 19. I. F., & alia anni 1178 facta coram Domino Gandulpho Episcopo Bobii, quæ asservatur capsa 32. I. N., alia demum de Ecclesia S. Joannis de Gavi an. 1180 quæ asservatur capsa 32. I. Bb.

an. 1181 Domnus Raynerius Abbas. En Documenta, quæ D. Raynerii mentionem faciunt: 1.° Acquistum factum nomine Monasterii de Brayda in Cunniolo: asservatur capsa 51. I. Ff. 2.° Aliud de medietate unius mansi de terra boschiva,

(a) *Vid. numeros* 137. *&* 139.

prativa &c. in fundo Gossolenghi an. 1194: asservatur capsa 21. II. Mm.

Ab anno 1181 usque ad an. 1197 prædictum D. Raynerium rexisse Monasterium, & ejusdem jura vindicasse plura probant. 1.° Protestatio facta per Opizonem Marchionem Malaspinam, qua a Patre suo Decimam datam Monasterio ratificat, & ab eodem Monasterio exacta fuisse pedagia pro qualibet salma in Villa Vallis Trebiæ an. 1183, quæ asservatur capsa 35. I. Nn. 2.° Investitura DD. Marchionibus Muruello Opizoni, & Alberto fratribus de Malaspinis de juribus, quæ in Rocha de Carana, cum pacto inter cætera, quod interim licebit Monasterio exigere pedagia, & Canones in singulos homines &c.: addito juramento fidelitatis per eosdem Marchione, & per Caranæ homines, salva Imperatorum, & Regum fidelitate; quæ asservatur capsa 55. I. T. 3.° Arbitramentalis sententia favore Monasterii lata contra Archipresbiterum Varcii an. 1191 asservatur capsa 68. II. Q. 4.° Concessio prati in Ephiteusim facta an. 1197 quæ assservatur capsa 46. II. Mm.

D. Auderici, & D. Luniberti Monasterii Bobiensis Abbatum nulla in Archivii documentis extat mentio; qua proinde ætate Monasterium rexerint, omnino incertum; seculo tamen nono vel decimo vixisse videtur evincere character cu-

jusdam Codicis Biblici, qui inter innumeros a Bobiensi Bibliotheca asportatos, & præreptos, Mediolani in Ambrosiana Bibliotheca reperitur cum hac epigraphe in fine =: Hanc Bibliothecam ab Auderico Abbate usque in finem libri Regum jussa est scribi. Consummata vero, & in uno volumine consuta ab Luniberto exiguo Abbate. Felix lector esse cognosce &c. =. Hæc inscriptio præsefert characterem seculi XIII., diversæ propterea manus, quam sit prælibatus codex, quem seculo nono vel decimo conscriptum intelligenti exhibet lectio.

an. 1204 D. Romanus Abbas. Hic sicut cæteri sequentes, per Investituras, vel alia documenta in Archivio extantia, Abbatialem jurisdictionem habuisse dignoscitur. Implicatas lites habuit cum Uberto Bobiensi Episcopo, quæ tandem ab Innocentio III. diremptæ fuerunt an. 1204.

an. 1208 D. Gulielmus Abbas.

an. 1219 Iterum D. Romanus Ab.

an. 1227 D. Albertus Ab.

an. 1228 Iterum D. Gulielmus. Ab. Hic erat de Monticellis juxta quamdam Investituram ab eo factam an 1229 die 21 oct. quæ asservatur capsa 29. II. Cc.

an. 1231 D. Petrus Ab.

an. 1232 Iterum D. Gulielmus Ab.

an. 1244 D. Jacobus Ab.

an. 1245 Iterum D. Gulielmus Ab.

an. 1252 Iterum D. Petrus Ab.

an. 1253 Iterum D. Gulielmus Ab.

an. 1257 D. Ugo Ab.

an 1229 D. Obertus Ab.

an. 1261 Iterum D. Ugo Ab.

an. 1267 Iterum D. Obertus Ab.

an. 1269 D. Jacobus secundus Ab.

Iterum D. Obertus de Oddone Ab.

an. 1275 Iterum D. Ugo Ab.

an. 1276 Iterum D. Jacobus secundus Ab.

an. 1280 Iterum D. Ugo Ab.

Iterum D. Jacobus secundus Ab.

an. 1288 D. Gulielmus secundus Ab.

D. Jacobus secundus Ab.

an. 1288 D. Joannes Episcopus & Abbas. Hoc tempore erat Episcopus Bobii Joannes Gobbus Placentinus. Extat in hoc Archivio capsa 68. II. Ss. Comparitio ad petendum auditorem a Domino Papa Procuratorio nomine ejusdem D. Joannis *conscripti Episcopi*, *& Abbatis Monasterii S. Columbani Bobiensis &c.* de an. 1288 die 21 octobris.

an. 1289 Iterum D. Jacobus secundus Ab.

an. 1295 Iterum D. Gulielmus secundus Ab.

— Iterum D. Jacobus secundus Ab.

an. 1296 D. Gugnifortis de Canibus Ab.

an. 1297 Iterum D. Jacobus secundus Ab.

an. 1300 D. Petrus secundus Ab.

— D. Jacobus tertius Ab.

» In supplemento seculi XIII. in vo» lumine seu Indice Scripturarum hujus » Archivii legitur =: Permutatio inter » D Petaldum Abbatem, & Episcopum » in Monasterio S. Columbani favore » Presbyteri Joannis, & Pandulfi =; cujus permutationis Instrumentum extat in capsa 63. I. B. C. Hunc Episcopum suspicor fuisse Abbatem Commendatarium Monasterii S. Columbani.

an. 1302 D. Guido Abbas, cujus præclara memoria habetur hoc anno in charta, qua exhibetur fidelitatis juramentum pro Castello de Caranæ præstitum in manu D. Guidonis Abbatis uti Comitis, cum interventu Capituli Monasterii per D. Coradinum Marchionem Malaspinam Feudatarium obnoxium Comitatui dicti Mona-

sterii anno 1302 die 22 februar ii; asservaturque capsa 53. II. Cc.

an. 1303 D. Jacobus tertius Ab.

Iterum D. Guido de Succiis Ab.

an. 1305 D. Albertus secundus Ab.

Iterum D. Guido Ab.

an. 1307 Iterum D. Jacobus tertius, qui hoc anno die quarta martii obtinuit a Clemente V. Litteras Apostolicas, quibus irritantur contractus antecedentes facti præjudicio Monasterii: asservatur capsa 56. III. P.

an. 1309 D. Stephanus Ab.

Iterum D. Guido Ab.

Iterum D. Stephanus de Rigollo Ab.

an. 1313 D. Petrus secundus Ab.

an. 1315 Iterum D. Stephanus Ab.

an. 1320 D. Basilius Ab.

an.
1321 Iterum D. Stephanus Ab. Hic jura Monaſterii vindicans obtinuit inhibitorium cum citatione coram D. Joanne Dominico Spinola Sacræ Rotæ Auditore contra D. Episcopum Bobii, Petrum de Rubiano, & alios turbantes jura Monaſterii, & ſignanter contra prætentionem erigendi Baldachinum, aliosque actus juriſdictionis in Monachorum Eccleſiis exercendi. Datum Romæ 1321 die 28 aprilis, & aſſervatur capſa 40. I. S.

an.
1324 D. Albertus Ab.

an.
1327 D. Gulielmus ſecundus Ab.

Iterum D. Albertus. Albertus iſte reperitur Abbas S. Joannis Evangeliſtæ Parmenſis an. 1243 menſe auguſti, ut ex duobus Documentis, quæ aſſervantur capſa 73. T. 160, & an. 1344. 24 maii, ut liquet ex alio documento exiſtente in capſa 65. I. Nn. Præterea idem Albertus reperitur Abbas S. Joannis, ut ſupra, annis 1345. 10 aprilis; 1347. 2 ſeptemb., 1348. 10 junii, ut indicant Scripturæ exiſtentes in capſis 35. II. LL.; 49. I. Rr; & 73. T. 165 a tergo.

an.
1340 D. Petrus Ab.

an. 1343 D. Petrus idem de Garigiis. Hoc anno Corradinus Malaspina idem fidelitatis juramentum, quod supra an. 1302 præstiterat D. Guidoni Abbati, renovavit huic D. Petro Abbati, uti Comiti, cum promissione pedagii: asservatur capsa 53 II. Dd.

an. 1348 D. Gulielmus tertius Ab.

an. 1354 Iterum D. Petrus (a). Hic anno 1356 Monasterium quoque regebat, ut ex inscriptione campanæ, quæ adhuc de an. 1518 inter alias ad Ecclesiam Monasterii pertinentes recensebatur, quaque utebatur Communitas Bobii pro convocando Consilio; hæc enim inter cætera habebat =: D. Petrus Abbas me fecit fieri =.

an. 1366 Iterum D. Petrus de Garigiis. Enim vero hoc anno sub eodem Abbate D. Petro exhibetur transumptum Privilegii Lucii Papæ II., quo conceditur Monasterio S. Columbani receptio Religiosorum cujuscumque Ordinis, etiam Mendi-

(a) *Ut ex inscriptione quæ legitur subtus craterem, quo utebatur S. Columbanus, quemque instar calicis ornare fecit.*

Digitized by Google

tantum, quod asservatur capsa 56. I. S. Præterea hic Petrus de Garigiis reperitur Abbas S. Columbani etiam an. 1372, ut indicat Investitura quædam perpetua facta hoc anno ab ipso die 8 augusti, quæ asservatur capsa 67. IV. Gg.

an. 1374 D. Jacobus Crivellus de Placentia Ab.

an. 1386 D. Joannes de Rogeriis a Savona Abbas, qui per Litteras commendatitias Urbani Papæ VI. ad Monachos S. Columbani Bobii datas Januæ sexto Kal. decembris Pontificatus anno octavo, scilicet an. 1386, electus fuit Abbas Monasterii. Hujusmodi Litteræ asservantur in capsa 58. I. I.

an. 1389 D. Guinifortis de Canibus secundus Ab.

an. 1392 D. Petrus Ab.

Iterum D. Guinifortis de Canibus Ab.

an. 1397 Iterum D. Jacobus Crivellus Ab.

Iterum D. Guinifortis de Canibus. Hic obtinuit præceptum inhibitorium a D. Riccardo Yanc Auditore Cameræ Apostolicæ ac Judice Delegato, expeditum contra Dominos Episcopos Bobiensem

& Novarienſem, ne quid intentare audeant in cauſa exemptionis, & independentiæ Monaſterii S. Columbani. Dat. Romæ an. 1398, & aſſervatur capſa 56. I. D.

an. 1414 D. Joannes Malaſpina de Mulatio Ab.

an. 1432 D. Antonius de Prezoalio Abbas Monaſterii Brixienſis, & Œcŏnomus Monaſterii S. Columbani.

Iterum D. Joannes Malaſpina Ab.

an. 1440 D. Antonius de Placentia Vice-Abbas.

an. 1441 Iterum D. Joannes Malaſpina Ab.

an. 1442 D. Antonius de Mantua Prior S. Martini Vallis Trebiæ, & Œconomus Monaſterii conſtitutus a D. Daniele Epiſcopo Bobienſi propter perſonalem Joannis Malaſpinæ detentiŏnem, qui D. Antonius titulo Vice-Abbatis decoratur uſque ad 1444 incluſive.

an. 1445 Iterum D. Joannes Malaſpina Ab.

Iterum D. Antonius de Placentia Vice-Abbas.

an. 1448 Iterum D. Joannes Malaspina, ultimusque Abbas perpetuus Monasterii S. Columbani Bobiensis.

N o t a

Quum jam ab aliquot annis in Bobiensi Monasterio Monachis fere destituto, disciplinæ monasticæque observantiæ vix superesset vestigium, quinimo ipsemet D. Joannes Malaspina Abbas multiplicibus molestiis, & curis opprimeretur, nosceretque se illud optato decori restituendo imparem esse, volens suæ conscientiæ, & indemnitati consulere, Congregationi Monachorum S. Justinæ de Padua dictæ *Unitatis* sponte ac libere regimen, & administrationem præfati Cœnobii concedere deliberavit. Insuper cum D. Martianus optimus Bobiensis Episcopus, D. Aloysius de Verme ipsius Civitatis Dominus temporalis & Comes, necnon ipsi Cives unanimiter desiderarent jam fatum Monasterium ad regularem observantiam reduci, tandiu sollicitaverunt, institeruntque penes laudatam Congregationem ut hujusmodi Bobiense Monasterium in sua Congregatione accipere dignaretur, quamdiu optatum finem fuerunt consecuti, cum infrascriptis pactis & conditionibus, prævia Delegatione a Nicolao Papa V. D. Martiano Episcopo per Breve speciale facta, ut ex infrascriptis Bullis fiet manifestum, Paphnutio ac Peregrino Abbatibus Procuratorio nomine prædictæ Congregationis intervenientibus, & acceptantibus. Itaque

primum lecta fuere Capitula, quibus medianti-bus, Congregatio Casinensis consentit unioni exhibitæ Monasterii, statuta inter D. Martianum Episcopum Bobiensem, D. Joannem Malaspinam Abbatem, D. Comitem Aloysium de Verme, & Communitatem Bobii ex una parte, & DD. Paphnutium, & Peregrinum Abbates, ac supradictæ Congregationis Procuratores ex altera; postea utraque parte consentiente solemne confectum fuit Instrumentum a Bartholomæo Luxerio rogatum ut sequitur.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Cum Reverendissimus in Christo Pater Dominus Martianus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Bobiensis & Comes, & Reverendus D. Joannes de Malaspinis de Mulatio ejusdem Domini Dei Nostri, ac Apostolicæ Sedis gratia Venerabilis Monasterii S. Columbani Bobiensis Abbas; necnon Illustris Comes Aloysius de Verme Dominus temporalis ejusdem Bobiensis civitatis, ac etiam Cives ejusdem Bobiensis civitatis diu desideraverint, quod Monasterium ejusdem Beatissimi Columbani quod cum diu desolatum, & destitutum in spiritualibus, & temporalibus fuerat, ad regularem observantiam ad Dei laudem, & animarum salutem reduceretur; & cum ipse præfatus Reverendissimus Dominus Episcopus, ac Illustris quoque Comes, Abbasque, ac Communitas jam per multos annos sollicitaverint, institerint cum Congregatione Monachorum Ordinis S. Benedicti de observantia, quæ dicitur *Unitatis*, ut præfatum Monasterium acceptare

in sua Congregatione, & observantia dignaretur, tandem Domino Deo Nostro volente ad optatum finem devenere cum infrascriptis pactis, & conventionibus firmatis, & stabilitis inter Reverendissimum D. Episcopum supra nominatum, ac eumdem Reverendissimum D. Abbatem supradictum, necnon Illustrem D. Comitem, ac Communitatem præfatam ex una parte, & Venerabiles Religiosos DD. Paphnutium de Janua Abbatem S. Benedicti de Mantua, ac ipsius Congregationis Præsidentem, & Pelegrinum de Papia Abbatem S. Sisti de Placentia, & ipsius Congregationis Visitatorem Procuratores, & Procuratorio nomine ejusdem Congregationis, ut patet publico Instrumento scripto manu Ser Nicolai Francisci Cerdonis Notarii Florentini, ex altera, ut infra.

Et primo præfatus Reverendissimus Dominus Episcopus volens inducere ad devotionem ipsius Venerabilis Monasterii ac præfatæ Congregationis præfatam Communitatem Bobiensem, & omnem aliam creaturam, proprio motu, & voluntate, ac ex certa scientia voluit, vult, & contentatur quod dicta Congregatio possit impetrare ipsum Monasterium S. Columbani liberum & exemptum ab omni subjectione Diocesani, sicut sunt cætera ipsius Congregationis Monasteria vigore Privilegiorum ipsius Congregationis. Hac tamen conditione apposita, quod si ullo umquam tempore dicta Congregatio ipsum Monasterium qualicumque occasione dimitteret, tunc & eo casu ipse Reverendissimus Dominus Episcopus, & ejus successores remaneant in jure,

Digitized by Google

& jurisdictione quam habuit, & habebat anteaquam ipsa Congregatio præfatum Monasterium impetrasset, & etiam in se Domino Episcopo, & successoribus suis reservata cura, & institutione Capellani dicti Monasterii prædicti, qui Capellanus ad institutionem vel destitutionem præfati Reverendissimi Domini Episcopi, & ejus ordinariæ jurisdictioni spectet, & pertineat de cætero, cum emolumentis per ipsum Capellanum tantummodo percipi solitis.

Secundo. Reverendus D. Joannes Abbas supranominatus proprio motu, & pura, mera, simplici, ac bona voluntate sua, ac devotione ex certa scientia motus voluit, vult, ac rogavit, & rogat, & plurimum contentatur, quod dicta Congregatio impetret dictum Monasterium S. Columbani annuale, & temporale secundum morem ipsius Congregationis cum his conditionibus, quod dicto D. Abbati in vita sua remaneat titulus Abbatialis donec vixerit, ac post cessum vel decessum ipsius dictum Monasterium remaneat cum titulo Abbatiali, & omnibus redditibus ipsius Monasterii liberum ipsi Congregationi. Hac tamen conditione apposita quod dicta Congregatio teneatur, & debeat præfato D. Abbati per singulos annos solvere pro manutenendo statum suum, & pro substentatione sua ac familiæ suæ Florenos centum auri donec vita functus fuerit; ita tamen quod dictus D. Abbas pro ipsius ac Monachorum pace, & quiete teneatur, & debeat facere residentiam extra clausuram Monasterii prædicti, nec in aliquo debeat se intromittere in temporalibus vel spiritualibus

ipsius Monasterii, sed libere & expedite remaneat ipsum Monasterium tam in spirituali, quam in temporali in manibus, & sub gubernatione ipsius Congregationis cum Prioratu S. Martini, qui Prioratus est, & semper fuit membrum ipsius Monasterii S. Columbani, & omnibus aliis Prioratibus, Ecclesiis, & membris ubicumque positis, & pertinentibus ad ipsum Monasterium S. Columbani, ita tamen quod super solutione fienda ipsi Domino Abbati pro dictis Florenis centum auri, & seu assignatione fienda stetur arbitrio, & discretioni ipsius præfati Reverendissimi Domini Martiani Episcopi antedicti.

Tertio. Promisit magnifica Communias prædictis Venerabilibus Patribus Paphnutio, & Pelegrino nomine, & vice dictæ Congregationis, quod quantum in eis erit, & ad ipsum Commune pertinebit, facere ipsum Monasterium exemptum & liberum cum omnibus Prioratibus, Ecclesiis, & membris, & possessionibus ad ipsum Monasterium pertinentibus ab omnibus Pedagiis, Gabellis, ac Datiis, & oneribus, ac gravaminibus ipsius Civitatis, & Comitatus, & cujuscumque conditionis existant, & quocumque nomine censeantur in ipsa Civitate, & Comitatu, & Diœcesi, exceptis Colonis, Partiariis, & Massariis, seu fictabilibus dicti Monasterii, & aliis personis quantum sit pro parte contingente dictis personis Laicis.

Item renuntiaverunt, & renuntiant ipsi Cives ac ipsa Communitas omni juri quod unquam habuissent, & in præsenti haberent sepeliendi corpora mortuorum suorum in Ecclesia, vel in

claustro ipsius Monasterii S. Columbani, & realiter sunt contenti quod deinceps corpora defunctorum suorum sepeliantur in cæmeterio fabricando, & consecrando retro, sive a latere Ecclesiæ S. Columbani in horto ipsius Monasterii posito de ante versus plateolam ipsius Monasterii, ita tamen quod, interim quod ipsum cæmeterium fuerit fabricatum & consecratum, possint & debeant sepeliri in suis sepulchris consuetis, & subito cum fabricatum fuerit ipsum cæmeterium teneantur generaliter, nemine excepto, ipsorum defunctorum corpora in cæmeterio supradicto sepelire, ut volunt, & ordinant jura Canonica, quod cæmeterium fabricatur, & consecretur quam citius possibile fuerit, super quo Capitulo, quia contentio erat de sepulchris ibidem antiquitus fabricatis, inter partes prædictas de ambarum partium voluntate dicta contentio remissa fuit arbitrio, & discussioni præfati Reverendissimi Domini Episcopi.

Ultimo promisit ipsa Communitas realiter, & cum effectu supplicare, instare, & sollicitare magnificum, & excelsum Dominum Comitem Aloysium ut fabricet, seu fabricare faciat ipsum Monasterium S. Columbani, sicut pluries promisit ejus illustris Dominatio. Et insuper promisit ipsa Communitas præbere omne auxilium possibile in adjutorium ipsius fabricæ.

Item quod dicta Congregatio non possit, nec valeat possessiones, vel proprietates reddituras ipsi Monasterio, quæ de hinc forent apertæ ipsi Monasterio, & ad ipsum Monasterium devolutæ essent vel propter cessationem debiti Canonis

non soluti, vel ignoranter fuissent alienatæ per quempiam pro liberis; licet essent obligatæ ipsi Monasterio, vel quia tenentes ipsas proprietates perdidissent per sachomanum vel aliter quomodocumque Instrumenta, & jura sua, ita quod juste, & rationabiliter possent ignorare, quod ipsæ proprietates essent obligatæ dicto Monasterio, non possint accipere pro apertis ipsas possessiones volentibus ipsis talibus tenentibus dictas proprietates recognoscere secundum solitum a dicto Monasterio dictas proprietates, & solvere ficta retenta, & debitum suum facere dicto Monasterio.

Quæ quidem Capitula superius stabilita, & firmata, & facta inter partes suprascriptas vindicent sibi locum casu quo Summus Romanus Pontifex ipsi Congregationi dictum Monasterium concedere dignetur, & non aliter, nec ante, quia inter partes suprascriptas sic actum fuit, & expresse dictum, & prædictum Capitulum vindicet sibi locum pro temporibus præteritis, & retroactis, & usque in præsentem diem, sed pro temporibus futuris contenta in eo relinquantur dispositioni juris Communis.

Præsens Instrumentum rogatum fuit, & acceptatum in aula magna Bobiensis Episcopatus a Bartholomæo de Luxeriis Notario publico Bobiensi anno ab Incarnatione Domini 1448, die trigesima septembris; & ab ejus prothocolis fideliter extractum a Francisco de Garigiis publico Imperiali Auctoritate Notario Bobiensi an. 1488 die 16 aprilis.

Breve executionis Bullæ Nicolai Papæ V., & unionis Monaſterii S. Columbani Congregationi S. Juſtinæ de Padua a Domino Martiano Bobienſi Epiſcopo in ſui Epiſcopii Aula magna publicatum, & Partibus contrahentibus coram pluribus nobilibus Teſtibus lectum.

Martianus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Bobienſis & Comes, nec non negotio, & partibus infraſcriptis Commiſſarius & Delegatus, ac executor unicus a Sede Apoſtolica Deputatus, Venerabilibus & Religioſis Dominis Monachis Congregationis, & Unitatis S. Juſtinæ de Padua nuncupatæ Ordinis S. Benedicti, univerſiſque & ſingulis præſentibus & futuris, quos hoc negotium tangit, vel tangere poterit quomodolibet in futurum, & ad quos præſentes litteræ noſtræ pervenerint ſalutem in eo, qui eſt omnium Fidelium vera ſalus, & noſtris infraſcriptis, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. D. Nicolai Divina diſponente Clementia Papæ V. ſanas, integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpectione carentes, cujus vera Bulla publica cum filo canapis pendente, more Romanæ Curiæ bullatas nobis per Venerabilem ac Religioſum Domnum Pelegrinum de Papia Abbatem S. Sixti Civitatis Placentiæ Ordinis antedicti Congregationis prædictæ, ac ipſius Congregationis Viſitatorem & Procuratorem dicto Procuratorio nomine exhibi-

tas, & præsentatas, nos cum ea qua decet reverentia accepisse noveritis tenorem, qui sequitur continentes.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Bobiensi salutem & Apostolicam Benedictionem. Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea, per quæ in Monasteriis & Locis Regularibus quibuslibet debita viget observantia regularis, & ne illorum personæ rerum premantur inopia, libenter intendit, ipsaque Monasteria & Loca per Apostolicæ Providentiæ studium, utilium Personarum fulcita præsidiis, superni favoris auxilio suffragante, ad laudem & gloriam Divini nominis salubribus proficiant incrementis. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Joannes Abbas Monasterii S. Columbani Bobiensis Ordinis S. Benedicti regimini & administrationi dicti Monasterii, cui præesse dignoscitur, ex certis rationabilibus causis sponte, & libere cedere proponat, nos votis ipsius Abbatis in hac parte favorabiliter annuentes, ac sperantes quod dictum Monasterium per vitam laudabilem, & fructuosa opera Dilectorum Filiorum Monachorum Congregationis Unitatis S. Justinæ Paduanæ dicti Ordinis salubriter regetur, & prospere dirigetur, ac in spiritualibus & temporalibus non modica suscipiet incrementa, & tam dicti Monasterii utilitati, quam etiam ipsi Joanni Abbati, ne propter cessionem hujusmodi indigentiæ comprimatur incommodis, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, etiam Dilectorum Filiorum Nobilis viri Aloysii de Verme

Comitis & Domini temporalis, nec non Communis Civitatis Bobiensis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, ab eodem Abbate vel Procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto cessionem regiminis & administrationis hujusmodi, si eam sponte & libere facere voluerit, ut præfertur, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias, & admittas, eaque per te recepta & admissa, Monasterium prædictum cum Prioratu S. Martini Bobiensis dicti Ordinis, & aliis membris suis, cujus & membrorum hujusmodi fructus, redditus, & proventus trecentorum florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, etiamsi ejus dispositio ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datæ præsentium de Abbate canonice provisum non existat, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, Congregationi Monachorum hujusmodi per ipsos alias juxta eorum constitutiones, statuta, & consuetudines, tenendum, regendum, & gubernandum auctoritate eadem perpetuo appropriare, subjicere, & applicare, ita tamen quod de cætero dictus Joannes ejusdem Monasterii *Abbas*, quoad vixerit, nuncupetur, quodque Capellanus Capellæ dicti Monasterii, qui illius Parochianorum curam Animarum pro tempore geret, per Episcopum Bobiensem pro tempore existentem deputetur, ac ibidem instituatur, nec non cæmeterium ipsius Monasterii in alium locum juxta

conventionem inter Abbatem, & Monachos præfatos desuper initam commutetur, & transferatur: liceat quoque præfatæ Congregationi, postquam cessio hujusmodi facta fuerit, per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem administrationis bonorum dicti Monasterii auctoritate propria apprehendere, ac hujusmodi fructus, redditus, & proventus in suos, & dicti Monasterii usus, & utilitatem convertere, & perpetuo retinere, alicujus super hoc licentia minime requisita. Et nihilominus ne dictus Abbas ex cessione per eum facienda hujusmodi nimium gravetur, super fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi pensionem annuam centum florenorum auri similium sibi quoad vixerit, vel Procuratori suo ad hoc ab eo speciale mandatum habenti, per hujusmodi Congregationem annis singulis incertis ad id per te de ipsorum Abbatis & Congregationis consensu statuendis terminis, & locis, ac censuris, & pœnis efficaciter persolvendam eadem auctoritate reservare, constituere, & assignare procures, faciens eidem Abbati pensionem prædictam juxta faciendas per te vigore præsentium constitutionem, & assignationem, ac reservationem hujusmodi, efficaciter persolvi, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si Congregationi, & Monachis

præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Attente quoque provideas ne in cessione hujusmodi aliqua ex parte Congregationis, & Abbatis prædictorum pravitas interveniat, seu etiam corruptela. Nos enim omnibus & singulis Monachis, & personis in dicto Monasterio pro tempore residentibus ut quibuscumque privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & indultis eidem Congregationi ac illius Monasteriis, locis, & personis per eamdem Sedem quomodolibet generaliter concessis, uti, & gaudere valeant, eadem auctoritate concedimus per præsentes. Et insuper ex nunc irritum decernimus & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1448. tertio idus januarii Pontificatus nostri anno secundo.

Signato Joanne De-Collis, & Gabriel.

Post quarum quidem Apostolicarum litterarum præsentationem, nostramque receptionem & admissionem factam, fuimus per præfatum Dominum Pellegrinum, nomine quo supra, debita cum instantia requisiti, quatenus ad earum executionem juxta in eis traditam a Sede Apostolica nobis formam procedere dignaremur; nos itaque

Martianus Episcopus ac Commissarius Delegatus executor antedictus volentes per præfatas litteras Apostolicas, & commissionem per illas nobis factam, & in eis contentam, juxta earumdem seriem continentium formam, atque tenorem exequi prout debemus, & tenemur, Venerabilem virum Dominum Joannem Malaspinam ex Marchionibus de Mulatio Abbatem Ecclesiæ & Monasterii S. Columbani Bobiensis in præcitatis litteris Apostolicis specialiter nominatum coram nobis pro ipsarum Apostolicarum litterarum, & cæterorum in eisdem intimatione debitaque executione evocari & accersiri fecimus, eidemque sic coram nobis evocato ac personaliter constituto, dictas litteras Apostolicas, & earum tenorem de verbo ad verbum, prout jacent, præsente dicto Procuratore vestro intimavimus, deindeque ab eo diligenter perquisivimus, si sponte & libere regimini & administrationi dicti Monasterii, cui præesse dignoscebatur, & quibus causis cedere proponebat, & proponat. Qui subita & ingenti lætitia permotus, & ferventi devotione succensus, genua coram nobis flectens, & manus religiose junctas ad Omnipotentem Deum elevans, summo optimoque Deo rerum omnium Opifici gratias egit, quod ejus pium, & lacrimarum, & vigiliarum votum jam tandem exaudiat. Dehincque publice & palam omnibus ibidem astantibus, qui non modici erant, plene intelligentibus, alta intelligibili voce dixit, protestatusque fuit, quod jamdudum cum dictum Monasterium, quod non dubitabat fuisse a S. Columbano sub regulari observantia, & lauda-

bilibus structuris fundatum, ac copiosa dote dotatum, aliisque multipliciter ornatum, videret jam pluribus annis multam in spiritualibus & temporalibus pati jacturam, cognosceretque se jamdiu ipsi Monasterio præesse ad plenam ipsius reformationem non omnino idoneum, proposuerat firmo animo, & inviolabili, ejus administrationi & regimini libere cedere, si modo illi offerretur via, qua veræ dicti Monasterii reformationi ex integro consultum videretur, in quo quidem proposito etiam nunc se firmiter perseverare asserebat: & propterea cum nunc videret sibi dictam reformationis viam auctoritate dictarum Apostolicarum litterarum oblatam, maxime attentis personis Venerabilium Religiosorum Domnorum Monachorum prædictæ Congregationis seu Unitatis S. Justinæ Paduanæ, quos scit laudabiliter vivere sub regulari observantia, ac multis Apostolicis privilegiis munitos fore, solertique existere prudentia præditos, & alias multipliciter commendabiles, ita ut ne dum hoc, sed & quodlibet aliud majus Monasterium opportune reformare sufficientes existant, paratus erat dictis administrationi & regimini dicti Monasterii S. Columbani libere & prompte cedere; statimque in manibus nostris sponte & libere, & non vi, nec metu, nec dolo, aut aliquo juris vel facti terrore ductus cessionem regiminis & administrationis hujusmodi fecit. Quam siquidem cessionem, sic ut præfertur, factam, auctoritate Apostolica, qua in hac parte fungimur, cognito prius per nos, quod tunc nobis attente providentibus ex alto conceptum fuit, quod in cessione hujusmodi

ex parte Congregationis, vel Abbatis prædictorum nulla corruptela vel pravitas intervenerit, recepimus, & admisimus. Et volentes ad ulteriorem contentorum in dictis litteris Apostolicis executionem juxta mandatorum nobis formam procedere hujusmodi cessione sic per nos recepta & admissa, Monasterium S. Columbani prædictum cum Prioratu S. Martini Bobiensis dicti Ordinis, & aliis membris suis, cujus, & membrorum hujusmodi, fructus, redditus, & proventus trecentorum florenorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, etiamsi ejus dispositio ad Sedem specialiter vel generaliter pertineat Apostolicam, dummodo tempore *Datæ* dictarum Apostolicarum litterarum ei de Abbate canonice provisum non fuerit, quod nobis nullatenus constitit, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis Congregationi Monachorum hujusmodi per ipsos alias juxta consuetudines, constitutiones, & statuta tenendum, regendum, & gubernandum. Eadem Apostolica auctoritate appropriamus, subjicimus, & applicamus, ita quod de cætero dictus Dominus Joannes *Abbas* ejusdem Monasterii quoad vixerit, nuncupetur, & quod Capellanus Capellæ dicti Monasterii, qui illius Parochianorum curam Animarum pro tempore geret, per nos, & successores nostros Episcopos Bobienses pro tempore existentes deputetur, ac ibidem instituatur; nec non cæmeterium ipsius Monasterii in alium locum juxta conventionem inter dictum Abbatem, & prædictum dictæ vestræ Congregationis Procuratorem

desuper illam commutetur, & transferatur, & qnantum in nobis est, commutamus, & transferimus. Nihilominus, ne dictus Abbas ex cessione hujusmodi per eum facta indigentiæ incommodis nimium gravetur, super fructibus, redditibus, & proventibus prædictis pensionem annuam centum florenorum auri de Camera sibi quoad vixerit, vel Procuratori suo ad hoc speciale mandatum habenti, per hujusmodi vestram Congregationem annis singulis in terminis infrascriptis ad hoc per nos de Domini Abbatis supradicti, & prædicti vestri Procuratoris consensu statutis, ut in festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi pro dimidia, & in festo Resurrectionis ejusdem pro alia dimidia, vel infradictorum dierum octavas in dicta Civitate Bobii sub censuris, & pœnis inflictis efficaciter persolvendam eadem Apostolica auctoritate reservamus, constituimus, & assignamus. Et ut hujusmodi nostra reservatio, constitutio, & assignatio debitum sortiatur effectum, vos Venerabiles & Religiosos Monachos Congregationis & Congregationem ipsam tenore præsentium requirimus, & monemus pro primo, secundo, tertio, & peremptorio communiter, & divisim, ac vobis, & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis inflictis præcipiendo mandamus, quatenus in festo Nativitatis D. N. Jesu Christi proxime futuro, aut saltem infra ejus octavam florenos quinquaginta auri de Camera, & deinde in festo Resurrectionis ejusdem similiter proxime futuro, vel saltem similiter infra ejus octavam, alios florenos

quinquaginta auri de Camera, & deinde singulis annis in prædictis temporibus prædictas florenorum quantitates eidem Domino Joanni Abbati donec vixerit, vel ejus Procuratori ad hoc speciale mandatum habenti in dicta Civitate Bobii terminis, & loco supradictis juxta nostras supra dictas reservationem, constitutionem, & assignationem de dicti vestri Procuratoris, & præfati Domini Abbatis consensu per nos, ut præmittitur, statutis, realiter & cum effectu persolvere studeatis, ac persolvatis. Quod si forte dictorum solutionem in dictis terminis in quolibet prædictorum non adimpleveritis, & monitionibus, & mandatis nostris hujusmodi, immo verius Apostolicis non parueritis cum effectu, nos vos omnes & singulos Monachos supradictos, qui culpabiles fueritis in præmissis, ac Congregationem vestram, & generaliter contradictores quoslibet & rebelles, ex nunc prout ex tunc, & tunc prout ex nunc, singulariter, & in singulos, prædicta canonica monitione præmissa, in Congregationem vestram supradictam, Capitula, Conventus, & Collegia vestra quæcumque, ubi, & quæ in his forsan, quod absit, deliquerint, suspensionis a Divinis, & etiam ipsorum delinquentium Ecclesias, & loca interdicti Ecclesiastici in terminis in his scriptis sententiam promulgamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si Congregationi & Monachis

præfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod mulctari, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, prout dicta omnia prælibatus SS. Dominus Dominus noster non obstare voluit. In quorum fidem & testimonium de prædictis omnibus & singulis per Antonium Rattum Notarium publicum, & Cancellarium nostrum unum & plura ejusdem tenoris jussimus, & mandavimus confici documenta, ac nostri Pontificalis Sigilli in pendenti munimine roborari. Acta sunt prædicta in Civitate Bobii in sala magna residentiæ præfati Reverendissimi Domini Domini Episcopi & Delegati sita in canonica majoris Ecclesiæ Bobiensis sub anno Incarnationis Dominicæ 1449. indictione duodecima die vigesimo octavo mensis martii hora tertiarum præsentibus Venerabilibus viris Dominis Presbiteris Gulielmo de Babis Præposito Majoris Ecclesiæ Bobiensis, Joanne Luxerio, & Antonio de Stemmatis Canonico Bobiensi, spectabili & egregio viro Domino Joanne de Birago Potestate Civitatis prædictæ, sapientibus & egregiis viris Dominis Stephano de Lisiis de Fregaria, & Joannotto de Georgiis juris peritis, nobilibus viris Jacomino de Brugnadello, Antonio de Monticellis Dariani, Bartholomæo Luxerio, & Joanne Manfredo de Donatis civibus Bobiensibus Testibus notis & rogatis, ad prædictaque specialiter vocatis.

Ego Antonius Rattus publicus imperiali auctoritate Notarius, ac præfati Reverendissimi Domini Domini Episcopi ac Commissarii, & Delegati Cancellarius, omnibus, & singulis præmissis interfui, rogatusque has præsentes litteras in formam publici Documenti redegi, scripsi, & me subscripsi cum meo solito tabellionatus signo in fidem, & testimonium præmissorum.

Post renunciationem factam, ut supra, a Joanne Malaspina Abbate, anno 1449 usque ad annum 1453, nempe quamdiu dictus Dominus Joannes inter vivos fuit, a Congregatione prædicta S. Justinæ de Padua deputati fuerunt Priores ejusdem Congregationis cum titulo *Administratorum*, qui Monasterio S. Columbani Bobiensis præessent. Nempe primus fuit

an.
1449 D. Joannes a Placentia Prior Administrator.

an.
1450 D. Joannes Antonius a Papia cum titulo Vice-Abbatis.

an.
1453 D. Ludovicus de Alladio Pedemontanus primus Abbas post Decessum Joannis Malaspinæ ultimi Abbatis perpetui, qui hoc eodem anno obiit.

an.
1454 D. Eugenius de Leodio Ab.

an.
1455 D. Cregorius a Crema Ab.

an. 1456 Iterum D. Gregorius usque ad annum 1458 exclusive.

an. 1458 D. Innocentius de Bobio Abbas.

an. 1459 D. Basilius de Russiis a Parma Ab.

an. 1460 D. Antonius a Placentia Ab. usque ad annum 1462 exclusive.

an. 1462 D. Antonius de Vormatia Ab.

an. 1463 D. Pacomius a Corsica Ab.

an. 1464 D. Eugenius de Ælodio Ab. usque ad annum 1466 exclusive.

an. 1466 Iterum D. Gregorius a Crema Ab. usque ad annum 1467 inclusive. Ab hoc anno usque ad annum 1473 exclusive præfuisse Monasterio S. Columbani Bobii Priores Administratores censeo.

—— Iterum D. Eugenius de Ælodio Ab.

—— Iterum D. Gregorius a Crema Ab.

—— Iterum D. Basilius a Parma Ab.

—— Iterum D. Gregorius a Crema Ab.

Iterum D. Basilius de Russiis a Parma Ab. Ita reperitur in quadam tabella Archivii absque anni nota.

an. 1473 D. Nicolaus a Florentia Ab.

an. 1474 D. Joannes Antonius a Papia Ab. usque ad annum 1479 exclusive.

an. 1479 D. Gabriel a Janua Ab. usque ad annum 1482 exclusive.

an. 1482 Iterum D. Joannes Antonius a Papia Ab. sub quo facta fuit unacum Joanne Episcopo Bobii Translatio Sacrorum Corporum Attalæ, & Bertulphi de antiquo sepulchro: necnon idem D. Joannes Antonius Abbas eodem anno, prævia solemni Processione, & Populi concursu, Sacrum D. Columbani Corpus nobiliorem in locum transtulit; uti etiam anno sequenti transtulit Sacra Corpora Sanctorum Bobuleni Abbatis, Cumiani, Romani, & aliorum plurimorum. Hic videtur rexisse Monasterium usque ad annum 1487 exclusive; enim vero sub eodem D. Joanne Antonio a Papia Abbate Reverendissimus D. Luchinus de Trottis Episcopus Bobii die 18 septembris anno 1485 consecravit tria Altaria Ss. Columbani, Attalæ, & Bertulphi, quæ in inferiori Ecclesia videntur.

an. 1487	D. Placidus a Janua Ab.
an. 1489	D. Hieronymus a Placentia Ab.
an. 1491	D. Benedictus a Ferraria Ab.
an. 1492	Iterum D. Hieronymus a Placentia Ab.
an. 1495	D. Felicianus a Januà Ab.
an. 1496	D. Theodorus a Mediolano Ab.
an. 1499	D. Antonius a Placentia Ab.
an. 1500	D. Paulus ab Alexandria Ab.
an. 1502	D. Benignus a Papia Ab.
an. 1503	D. Placidus de Returbio Ab. Profeſſus Bobii de anno 1473 anno ſequenti 1504 Julius II. univit Congregationi S. Juſtinæ ſacrum Monaſterium Montis Caſini, ac propter ejuſdem dignitatem, & præcipue

ob reverentiam Corporis Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti ibidem quieſcentis sancivit *Caſinenſem Congregationem*, alias S. Juſtinæ de Padua de cætero nuncupari debere.

an. 1506 D. Joannes Franciſcus de Bobio profeſſus Bobii de anno. 1476 Ab.

an. 1509 D. Antonius a Placentia Ab.

an. 1510 D. Lucas a Vercellis Ab.

Iterum D. Antonius a Placentia Ab.

an. 1512 D. Iſidorus a Placentia Ab.

an. 1513 D. Benedictus de Sarzana Ab. (*a*).

an. 1515 D. Placidus de Returbio iterum Ab.

---

an. 1514 (*a*) *Succeſſit D. Benedicto de Sarzana iterum D. Lucas a Vercellis, ut liquet ex inſcriptione, quæ legitur ſubtus caput argenteum, quod fieri curavit, ut in eo collocaret Sacrum S. Columbani cranium, ut modo apparet.*

an. 1516	Iterum D. Joannes Franciscus de Bobio Ab.
an. 1517	Iterum D. Placidus de Returbio Adm. cum esset Ab. S. Salvatoris.
an. 1518	Iterum D. Joannes Franciscus de Bobio Ab.
an. 1523	D. Urbanus de Novaria Ab.
an. 1526	D. Placidus de Returbio Ab.
an. 1532	D. Leonardus a Mediolano Ab.
an. 1534	D. Zacharias a Placentia Ab.
an. 1535	D. Lucas a Vercellis Ab.
an. 1538	D. Placidus a Papia Ab.
an. 1539	D. Hieronymus a Mediolano Ab.
an. 1540	D. Isidorus a Placentia Ab.

an. 1541 D. Germanus de Onelia Ab.

an. 1542 D. Hieronymus secundus a Mediolano Ab.

an. 1544 D. Vitalis a Mutina Ab.

an. 1546 D. Innocentius de Bobio professus Bobii de an. 1507 Ab.

an. 1548 D. Joannes Baptista a Brixia Ab.

an. 1549 D. Cyprianus ab Æste Ab.

an. 1551 D. Jacobus de Lande Ab.

an. 1554 D. Joannes Franciscus de Clarasco Ab. professus Bobii de anno 1513.

an. 1557 D. Gregorius a Crema Ab.

an. 1559 D. Benedictus a Saviliano Ab.

an. 1560 D. Andreas a Castro Guffredo Ab.

an. 1565 — D. Placidus de Bobio Ab. professus Bobii de an. 1526.

an. 1567 — D. Vitalis a Castiono Ab.

an. 1568 — D. Geminianus a Mutina Ab.

an. 1569 — D. Angelus a Gajeta Ab.

an. 1571 — D. Andreas de Hostilia prope Mantuam Ab.

an. 1576 — D. Nicolaus a Papia Ab.

an. 1578 — D. Columbanus a Placentia Ab. professus Bobii de an. 1531.

an. 1583 — D. Crisostomus a Brixia Ab.

an. 1586 — D. Prudentius a Brixia Ab.

an. 1588 — D. Columbanus a Placentia iterum Ab.

an. 1593 — D. Joannes Baptista a Placentia Ab.

an. 1594	D. Benedictus a Parma Ab.
an. 1596	D. Michael a Papia Ab.
an. 1597	D. Panphilius a Bergomo Ab.
an. 1599	D. Prosper a Placentia Ab.
an. 1603	D. Gregorius a Castiono Ab.
—	D. Eusebius a Patavio Ab.
an. 1606	D. Celsus a Brixia Ab.
—	D. Paulus a Venetiis Ab.
—	D. Hilarius a Vicentia Ab.
an. 1608	D. Faustinus a Brixia Ab.
an. 1611	D. Floribertus de Flandria Ab.
an. 1614	D. Sylvius a Brixia Ab.
an. 1615	D. Anastasius a Caballo Majori Ab.

an. 1617 D. Evangelista a Parma Ab.

an. 1618 D. Paulus Silvarezza de Janua Ab.

an. 1619 D. Desiderius a Mediolano Ab.

an. 1620 D. Alexius a Guinizolo Ab.

an. 1625 D. Basilius a Parma Ab.

an. 1632 D. Angelus ab Alto monte Ab.

an. 1633 D. Cæsarius a Mutina Ab.

an. 1634 D. Vitalis a Parma Ab.

an. 1642 D. Bartholomæus a Papia Ab.

an. 1646 D. Petrus a Reggio Ab.

an. 1647 D. Cæsarius a Mutina Ab.

Digitized by Google

an. 1649 D. Eutichius a Parma Ab.

an. 1652 D. Justinianus a Ferraria Ab.

an. 1653 D. Hieronymus a Janua Ab.

an. 1654 D. Hieronymus a Placentia Ab.

an. 1658 D. Stephanus Romanus Ab.

an. 1659 D. Carolus a Mutina Ab.

an. 1660 D. Felix a Papia Ab.

an. 1661 D. Cherubinus a Parma Ab.

an. 1664 D. Petrus Bomanus Ab.

an. 1666 D. Leander a Placentia Ab.

an. 1667 D. Augustinus a Papia Ab.

Digitized by Google

an. 1670	D. Honoratus Arcellus a Placentia Ab.
an. 1673	D. Odoardus a Parma Ab.
an. 1677	D. Andreas a Papia Ab.
an. 1678	D. Octavius a Reggio Ab. professus Bobii de an. 1634.
an. 1680	D. Paulus a Ferraria Ab.
an. 1682	D. Archangelus a Mutina Ab.
an. 1683	D. Adeodatus a Reggio Ab.
an. 1687	D. Paulus Camillus Maruffi a Placentia Ab.
an. 1689	D. Benedictus a Mutina Abbas Administrator.
an. 1690	D. Anselmus a Castiliono Ab.
an. 1693	D. Maurus a Placentia Ab.

an. 1694 D. Anselmus a Castiliono iterum Ab.

an. 1697 D. Ambrosius Cruce a Mediolano, postea Bobii Episcopus. Ab hoc tempore cœperunt addi cognomina.

an. 1699 D. Cæsar Pisani a Mediolano Abbas. professus Bobii de an. 1649.

an. 1704 D. Octavius Cusanus a Mediolano Ab.

an. 1710 D. Laurentius Phrigius a Papia Ab.

an. 1715 D. Julius Maria a Mediolano Ab.

an. 1716 D. Chrisostomus Alderanus Malaspina ab Olivola Ab.

an. 1719 D. Benedictus Bachinus a Burgo S. Domnini, nempe a Fidentia Ab.

an. 1722 D. Michael Pius de Magistris a Papia Ab.

an. 1728 D. Joannes Baptista a Papia Ab.

an. 1736 — D. Hieronymus Arrigoni a Mediolano Cancellarius Congregationis Caſ. alias S. Juſtinæ de Padua, Adm.

an. 1740 — D. Carolus Hierónymus Caſati Cancellarius ut ſupra a Mediolano, Adminiſtrator.

an. 1741 — D. Nicolaus Maria Ruggeri a Finali Ab.

an. 1746 — D. Joannes Placidus Taffini a Saviliano Ab.

an. 1750 — D. Joſeph Amedeus Morra a Benis Ab.

an. 1751 — D. Columbanus Schiaffinati a Mediolano Ab. profeſſus Bobbii de an. 1716.

an. 1754 — D. Joſeph Benedictus Metallini Cancellarius ut ſupra, dein Abbas.

an. 1760 — D. Joſeph Antonius Falletti a Morra Prior Adminiſtrator.

an. 1766 — D. Benedictus Felix Lovera a Saviliano Prior Adminiſtrator.

an. 1769 — D. Aloyſius Benedictus Roſſi a Papia Vice-Theſaurarius Congregationis, dein Abbas.

an.
1771 D. Felix Amedeus Franchi a Centallo Prior Adminiſtrator.

an.
1773 D. Victorius Patrizj Scagnelli a Saviliano Vice-Theſaurarius Congregationis dein Ab.

an.
1775 D. Brunus ab Aſta ex nobiliſſima Solariorum familia Cancellarius Congregationis, dein Ab qui pro tuendis Sancti Columbani juribus plurimum inſudavit, & ſcripſit.

an.
1781 D. Maurus Switbertus Toeſca a Saorgio Ab.

an.
1783 D. Michael Angelus Cariſio a Taurino Abbas.

an.
1787 D. Leander Frichignono a Taurino Ab.

an.
